

Hermann Daniel Henrich de Roques

De Notione Jurisjurandi



DE NOTIONE
JURISJURANDI
ET AN AC QUOMODO
JUSJURANDUM SIT ADMITTENDUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERM. DAN. HENR. DE *ROQUES,*

TREYSA-HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,

TYPIS KRIEGERI ACADEMICIS.

MDCCCXXX.

PROOEMIUM.

§. 1.

Rerum gestarum vestigia perscrutanti tibi ab antiquissimis jam inde temporibus ubicunque occurrit jurisjurandi notio, cum religione cujusque gentis arctissime conjuncta, sive unum colat numen, sive ad plures deos supplices tendat manus, et recte affirmat Hugo Grotius, *apud omnes populos et ab omni aevo circa pollicitationes, promissa et contractus, maximam semper vim fuisse jurijurando* [1]). Verum tamen per omnia tempora hucusque non solum singuli homines, sed sectarum quoque corpora erant, quae a juramento praestando abstinebant, quin etiam illicitum ac nefastum illud ducebant.

Jam illa Judaeorum secta, quae *Essenorum* nomen prae se fert, non minus fide ac veritatis amore, quam morum sinceritate insignis, jurisjurandi fidem respuebat, nisi illud exceperis juramenti vinculum, quo adstringebantur, qui per tres annos explorati membrorum numero adscribendi erant [2]). Praeter hocce su-

1) De jure belli ac pacis. Amstel. 1701. Lib. II. Cap. XIII. §. I. 1. pag. 382.

2) Fl. Josephi histor. de bello Judaico. Oxon. 1700. Lib. II. Cap. VIII. 9. pag. 114.

perfluum dicebant juramentum, et quasi perjurio deterius vitabant; jam enim mendacii condemnatum arbitrabantur, cui sine Deo non credebatur [1]). Ita et *Philo* Alexandrinus, qui aeque ac Josephus vitam atque doctrinam Essenorum in lucem protulit, optimum et utilissimum esse dicit et rationali naturae convenientissimum, omnino abstinere a jurejurando, atque sic veracitati assuefacere, ut simplex sermo vim jurisjurandi habeat; secundaria vero juxta proverbium navigatio (πλοῦς) sit recte jurare, nam enim qui jurat, suspectus sit de perfidia [2]). *Phryges* et ipsi jurejurando usi non sunt, nec ipsi jurantes, nec alios adigentes [3]).

Jam ad partes eorum accedimus, qui *christianae* fidei adscripti juramentum licitum esse negant. Sunt: 1) *monachi ex ordine Scti. Benedicti;* secundum regulam quidem, quam auctor monachis suis praescripsit, fratres suscipiendi in oratorio et stabilitatem, et conversionem morum, et obedientiam coram Deo et Sanctis promiserunt, ut si quando aliter fecerint, ab eo se damnandos sciant, quem irrideant [4]); sed postea non magis quam Esseni jurarunt, nam ad instrumenta bonorum operum relatum est: *non jurare, ne forte quis perjuret* [5]). 2) *Cathari;* cujusvis generis jusjurandum

1) Joseph. l. c. 7. pag. 114.
Philonis Judaei opera. Paris. 1640. Liber quod omnis probus liber pag. 877.
Joh. Lundii jüdische Heiligthümer. Hamb. 1738. pag. 907.

2) l. c. liber de decalogo; pag. 756.

3) J. Stobaei sentent. ex thesaur. Graecor. delectae. Tigur. 1543. Serm. 42. pag. 305.

4) Benedicti regula. Cap. 58. in Rodolphi Hospiniani de monachis libr. IV. Genev. 1669. pag. 218. cf. cap. 59.

5) l. c. Cap. 4. XXVII. pag. 204.

contra bonos mores, ideoque rejiciendum esse censuerunt, quod quidem Moneta, monachus ex ordine Dominicanorum, crimini iis dedit [1]). 3) *Waldenses;* omne jusjurandum, quantumcunque judicialiter et veridice factum, crediderunt esse peccatum et reprobatum [2]). Sed quia per hoc facilius deprehendebantur et condemnabantur, caute dispensaverunt modo jurare pro se, vel pro alio a morte liberando et defendendo [3]). 4) *Anabaptistae* [4]), et ab iis originem ducentes *Mennonistae* [5]); cuique jurijurando ideo obstabant,

---

1) Libri V. advers. Catharos et Waldenses. Rom. 1743. *C. F. Stäudlin's Geschichte der Vorstellungen und Lehren vom Eide. Gött.* 1824. pag. 101.

2) Reineri contra Waldenses lib. Cap. V. in bibliotheca Patrum. Lugd. 1677. Tom. XXV. pag. 266.

P. de Pilichdorfii contra haeresin Waldensium tractat. Cap. XXXVI. in eod. libro. pag. 298. cf. Acta conciliorum. Paris. 1714. Tom. VII. pag. 349, ubi concilium Tarraconense, ob Waldenses anno 1242 celebratum, eos haereticos condemnat, quia dicant in aliquo casu non esse jurandum.

3) Tractat. de haeresi Pauperum de Lugduno; in E. Martene et U. Durandi thesauro novo anecdotorum. Lutet. P. 1717. Tom. V. pag. 1784.

4) *G. Arnold's Kirchen- u. Ketzerhistorie. Frankf.* 1699. Tom. II. lib. XVII. cap. XII. 22. pag. 553, cui ex articulo XV. Confessionis sententia Anabaptistarum de jurejurando adjecta est.

5) *Chr. W. F. Walch's neueste Religionsgeschichte. Lemgo* 1781. Tom. VIII. pag. 443.

Quis est, quem fugit, quod de hac re in civitatibus German. de Mennonistis constitutum sit, quorum affirmatio „*bei Mannen-Wahrheit*" jurisjurandi locum obtinet plenamque fidem praebet. (Conclus. visitationis cameral. d. d. 13. Octob. 1768 ad dub. cam. I., extat *in den Visitations-Schlüssen, die Ver-*

quia Christi praeceptum illud, quod Matth. 5, 37. legitur, absolutae prohibitionis esse censebant. 5) *Quakeri;* si forte iis res esset cum hominibus, etsi coram magistratu, nulla religiosa affirmatione, nedum juramento, fidem suam adstringebant, et tales sermones omnino ajebant esse vetitos [1]). Qua in re licet leges iis valde indulgerent, imoque inde ab anno 1715 supremae curiae in Anglia tabulae publicae formalis juramenti praestationem in perpetuum remitterent, nuda tamen eorum affirmatio in rebus criminalibus non sufficit, quam ob causam evenit, ut non facile Quakerus

---

besserung des Kaiserl. Reichskammerger. Justizwesens betr. Lemgo 1779. pag. 86.) Quod quidem in Hassia nostra jam anno 1777 adoptatum est (*Kurhess. Kirchenrecht; neu bearbeit. von Chr. H. Pfeiffer. Marb.* 1821. §. 630, 5. pag. 592). Hac ratione rex Borussiae nuper haec constituit: „*Wenn ein Mennonit als Partei einen Eid schwören, als Zeuge abgehört werden soll, oder zu einem Amte berufen wird, zu dessen Uebernahme die Eidesleistung erforderlich ist: so muss er durch ein Zeugniss der Aeltesten, Lehrer oder Vorsteher seiner Gemeinde nachweisen, dass er in der mennonitischen Sekte geboren worden, oder sich doch schon wenigstens seit einem Jahre vor dem Anfange des Processes oder vor der Berufung zum Amte zu dieser Religionsgesellschaft bekannt und bisher einen untadelhaften Wandel geführt habe. In diesem Atteste muss zugleich die bei den Mennoniten übliche Bekräftigungsformel bemerkt seyn. Die nach derselben mittelst Handschlags abzugebende Versicherung hat mit der wirklichen Eidesleistung gleiche Kraft, und wer sie zur Bestätigung einer Unwahrheit misbraucht, den trifft die Strafe des falschen Eides.*“ (*Allg. Kirchenzeitung.* 1827. *Nr.* 65. pag. 527.)

1) Gerh. Croesi histor. Quakeriana. Amstel. 1695. lib. I. pag. 117.

Roberti Barclay Catechismus *und Glaubens-Bekäntnis. Amsterd.* 1679. Cap. XII. pag. 106. Art. XXI. pag. 154.

accusationem proferret metuens, ne fortasse jurare cogeretur [1]. 6) *Philipponenses* et *Duchobortzi*, qui partem faciunt sectae anno 1666 in ecclesia Graeca ortae Rascolnicorum (apostatarum), alias vero Quakerianae sese appropinquant, jurare et ipsi refutant [2]; qua de causa vocabantur Quakeri et Mennonistae Russici. 7) *Herrenhuthenses*, sive sodales unitatis fratrum Augustanae confessionis; verba Christi: *Ego vos jubeo omnino non jurare*, strenue stricteque interpretantes, omnia juramenta habent vetita [3]. 8) Nec merito evangelica illa societas in pago Würtenbergensi *Kornthalia* ab Lutherana sejuncta confessione, et ad exemplum Herrenhuthensium et ecclesiae Christianae originariae ordinata, ac mira, ut mihi videtur, species aevi novissimi, erit omittenda. Inter alia enim privilegia, quae ille Christianorum coetus amplissimo ab regimine Würtenbergensi nactus est, et illud perspicuum praecedit, ut loco juramenti, a Christo, ut putant, prohibiti, solam assertionem in vim jurisjurandi interponat [4].

---

1) *J. L. von Mosheim's Kirchengeschichte. Heilbr.* 1788. Tom. VI. pag. 1041.

2) *Stäudlin's*, *Tzschirner's*, *Vater's kirchenhistorisches Archiv.* 1823. *Heft I. pag.* 44 *sq.* *W. D. Fuhrmann's Handwörterb. der christl. Rel. u. Kirchengeschichte. Halle* 1826. Tom. I. pag. 651. Tom. III. 1829. pag. 387.

3) *Ausführl. histor. u. theolog. Nachricht von der Herrenhuthischen Brüderschaft. Frankf.* 1743. Cap. VI. pag. 165. Memoratu dignum est, hac de re nihil reperiri in Johannis Loretzi libro: Ratio disciplinae unitatis fratrum A. C. *oder: Grund der Verfassung der Evangelischen Bruder-Unität Augsb. Confession. Barby* 1789.

4) *Allgemeine Kirchen-Zeitung.* 1825. No. 118. pag. 966.

Maxime quoque *Slavi* ab jurejurando abhorrent [1]), nec *Algerii* incolae jurare feruntur [2]); *Sinesos* coram judicio jurare Staeudlin [3]) quidem teste libro: *Barrow Travels in China*, plane negat, sed veritati consentaneum jam propter hoc non esse videtur, quod teste Staudonis libro [4]) et in minoribus causis reo purgatorium, ritu sacro solennius atque gravius redditum, permittatur.

Patribus ecclesiae, qui verbis Christi Matth. 5, 34. 37. freti juramentum vel plane denegandum, vel tamen restringendum censebant, annumerandi sunt hi: I. Graeci. Flavius *Justinus* Martyr [5]), Titus Flavius *Clemens* Alexandrinus [6]), *Origenes* Adamantios, Alexandrinus [7]), *Basilius* Magnus, Caesareae Cappadociae archiepiscopus [8]), *Gregorius* Nazianzenus [9]), *Athanasius* [10]), Joannes *Chrysostomus*, archiepiscopus Con-

---

1) Helmoldi Chronic. Slavor. c. 83 sq. Staeudlin. l. c. pag. 163.

2) Dapperi Africa; pag. 247. Staeudlin. l. c. pag. 164.

3) l. c. pag. 164.

4) *Des Grafen Macartney Gesandtschaftsreise nach China; herausgegeb. von Sir George Staudon. Berl.* 1800. Tom. III. pag. 404.

5) Opera. Colon. 1686. Pro Christianis apologia II. pag. 63.

6) Opera, ed. Fr. Sylburg. Colon. 1688. Paedagog. lib. III. pag. 255. Stromat. lib. VII. pag. 728.

7) Exhortat. ad Martyrium. Basil. 1674. pag. 168. Tractat. 35 in Matth. vide Huetii Origenianor. lib. II. cap. II. VII. pag. 185. Colon. 1685.

8) Opera. Paris. 1730. Tom. III. epist. XXII. pag. 99.

9) Opera. Paris. 1630. Orat. 53. pag. 760.

10) Opera. Basil. 1564. De passione et cruce Domini. pag. 642.

stantinopolitanus [1]), *Theodoretus*, episcopus Cyrrhenus [2]). II. Latini: Quintus Septimius Florens *Tertullianus*, Carthaginensis [3]), Sophronius Eusebius *Hieronymus*, Sanctus [4]), Aurelius *Augustinus*, Hipponensis episcopus [5]).

Eorum secutus est opinionem *Basilides Martyr*, ille qui celeberrimam Potamiaenam ad supplicium adduxit [6]), *Gregorius Magnus*, Thaumaturgus [7]), *Pe-*

---

1) Commentar. in Nov. Test. Lutet. Par. 1623. Tom. I. in cap. V. Matth. Homil. XVII. pag. 217. — Opera Paris. 1636. Tom. I. pag. 53 — 192. Homil. IV — XVI. — Non perjuria tantum, sed omnia juramenta vitanda. Hom. LX. Catechesis ad Illuminandos; opp. Tom. I. pag. 713.

2) Epitome div. decret. Cap. XVI, ubi haec leguntur: ὁ μὲν παλαιὸς νόμος απαγορεύει τὸ ψεῦδος —, ὁ δέγε νέος καὶ τὸν ὅρκον. — *Irenaeum*, Lugdunensem episcopum, ortu Graecum, et ipsum in eorum, qui juramentum illicitum dicunt, castra migrare Staeudlin. l. c. pag. 73. quidem affirmat, sed ipsius librum adversus haereses sedulo perscrutanti mihi haec sententia sese omnino non obtulit.

3) Opera. Paris. 1580. De idolatria. pag. 625. 626. Apologet. cap. 28. pag. 702.

4) Opera. Basil. 1553. Tom. IX. pag. 20.

5) Opera. Colon. Agr. 1616. Tom. II. epist. 89. pag. 140. Jusjurandum repudiat Augustinus, „non quia peccatum est verum jurare, sed quia gravissimum peccatum est falsum jurare; quare in N. T. dictum sit: ne omnino juremus.“ Epist. 154. pag. 239. Verum jurare non est peccatum. Tom. X. de Verbis Apostolor. serm. 28. pag. 131.

6) Cum nescio quam ob causam a contubernalibus suis sacramento adigeretur, nefas sibi esse affirmavit omnino jurare: quippe Christianum se esse, idque palam profiteri. Eusebii Pamph. ecclesiast. histor. Mogunt. 1672. Lib. VI. cap. V. pag. 207.

7) Hoc de episcopo Neocaesariensi narrat Basilius M.:

lagius [1]) et recentiorum heterodoxorum non exigua pars.

At vero recentiori tempore complures docti jusjurandum admittendum esse negant, idque removere student; quorum maximi sunt momenti *Augustinus Leyser*, celeberrimus JCtus [2]); philosophus ille praeclarus *Imman. Kant* [3]), tunc *C. A. Haerter* [4]), demum ille, qui in arte paedagogica admodum excellit, *Henricus Stephani* [5]) nec non anonymus in *Monatsschrift für Predigerwissenschaften* [6]) aliique [7]). —

„Juramenta fugiebat pura illa anima, et digna Spiritus sancti consortio, contenta his vocibus: *Ita* et *Non*, propter praeceptum Domini: *At ego dico vobis, ne juretis omnino.*“ l. c. epist. 207. pag. 312.

1) Augustini opera. Tom. II. Append. epist. XVII. ad Demetriadem cap. 19. pag. 337. Haec epistola Augustini non est; imo ab ipso Pelagio profectam esse constat ex libro I, quem idem Augustinus *de gratia Christi et originali peccato* scripsit, contra Pelagium et Coelestinum (Tom. VII. pag. 291 sq. cap. 22. 27 — 29. 37. 38 et 40.)

2) Meditat. ad Pandectas. Lips. 1742. Vol. II. Specim. 137. II. pag. 698. Praestat, jusjurandum extra judicia et in judiciis plane abrogari.

3) *Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft. Königsb.* 1793. *pag.* 226. *Anm. Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre. Königsb.* 1797. §. 40. *pag.* 153.

4) *Ueber die gänzliche Abschaffung aller Eidschwüre vor Gericht. Goth.* 1808.

5) *Das allgem. kanonische Recht der protestant. Kirche in Deutschland aus seinen ächten Quellen zusammengestellt u. erläutert. Tübing.* 1825. *Kan.* 17. *pag.* 40 *sq.*

6) *Monatsschrift für Predigerwissenschaften von E. Zimmermann u. Ch. Heydenreich. Darmst.* 1824. *Band VI. Heft* 5 *u.* 6. *pag.* 501 *sq.*

7) Quadam ratione et cl. *S. Jordan* noster huc pertinet,

Jusjurandum nunc quid propter turpitudinem fugiendum, quid idcirco fugiendum non sit, quod omnino turpe non est. Quoties vero jurisjurandi rationem atque applicationem impugnarunt, toties vel ipsa verba Christi (Matth. 5, 34) et Jacobi (epist. cap. 5, 12) perperam intellexerunt, vel verae ejus notionis et indolis ignari fuerunt.

CAP. I.

DE NOTIONE JURISJURANDI.

§. 2.

Priusquam ideo de ipsa juramenti admissione loquamur, vera atque sana ejus *notio* eruatur necesse est. Jam antiquiori tempore viri docti, si de jurisjurandi natura agebatur, in diversissimas abibant sententias, quamvis in eo semper convenerint, ut sit *affirmatio religiosa* et plerisque adhuc visum sit, Deum in juramento testem esse et vindicem.

Exordiamur cum *Israelitis*. Ut hicce populus in universum veriori de Dei natura sententia est gavisus, quam ceterae hujus aevi gentes, ita et de juramento, nam arbitrabantur, Deum terrae et coeli dominum, qui omnia sciat, malum vindicare, et testem esse jurisjurandi et perjurii vindicem, neque remissurum poenitentibus et expiantibus poenam [1]). In Exod. XX, 7.

---

qui ab illa civitate, quae civium fidem ad jusjurandum revocat, quum sacrorum libertatem, tum existimationem offendi sententiam ponit. *Versuche über allgem. Staatsrecht. Marb.* 1828. *pag.* 415. *not.* 8.

1) *J. D. Michaelis Mosaisches Recht. Frankf.* 1780. Tom. V. §. 256. pag. 193.

expressis verbis legitur: לֹא יְנַקֶּה יְהוָה אֵת אֲשֶׁר־יִשָּׂא אֶת־שְׁמוֹ לַשָּׁוְא, *non impunitum sinet esse Jehova eum, qui nomen suum sumpserit in vanum (enunciaverit in mendacii asseverationem).* Quare nemo Israelitarum, qui leges a Mose in Sinai monte latas coluerunt, quin Deus vindex sit perjurii dubitare potuit. Neque alia amplecti potuit Moses de juramento principia ex genio legislationis suae et theocratiae indole. Ideoque, dum viveret, sanctissimum habebatur juramentum, quod cum fide in Deum cohaerere, atque ex eo progredi, Judaei haud ignorabant. Quapropter jam Moses jubet: אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ תִּירָא וְאֹתוֹ תַעֲבֹד וּבִשְׁמוֹ תִּשָּׁבֵעַ, *Jehovam Deum vestrum semper timete et colite, et per nomen ejus jurate.* Deuter. VI, 13. Postea regibus regnantibus, quum etiam per alias res jurare solitum esset (vide §. 9.), reverentia erga jusjurandum magis magisque evanuit et saepius et levius juratum est. Ita Jeremias cap. VII, 8—11. Israelitas, quod omnia scelera, etiamque perjurium, si aedes accederent, expiari posse crederent, vituperavit. Sed *Philo* Judaeus, qui quodammodo jam de jurejurando sane cogitaverat, id vocat τὸ πίστεως βεβαιότατον σύμβολον, μαρτυρίαν θεοῦ περιεχούσης [1]) et alio loco μαρτυρία θεοῦ περὶ πράγματος αμφισβητουμένου [2]). Si quaeris de Judaeis posterioris et inprimis hodierni temporis haec sunt addenda. Juramentum iis est invocatio vindictae divinae in eos, qui vel verum non dicunt, vel promissum violant, diris superadditis exsecrationibus [3]).

---

1) Opera. Paris. 1640. Liber de plantatione Noae; pag. 225.

2) l. c. Lib. II. legis allegoriarum; pag. 99.

3) Boehmeri, J. H., jus eccl. Protest. Hal. 1738. Append.

In Rabbinorum scriptis saepenumero pejerationes esse prohibitas reperimus. Ita Rabbinus *Bechai* in libro suo: *Cad hakkémach*, fol. 71. col. 2. de perjurio ait: *qui falso jurat, nomen Dei profanat*[1]). Eodem loco col. 4. idem docet, et Christianis et Paganis pejerare nefas esse, dicens: *qui τῷ Goi aut Christiano jurat, et juratum violat, nomen divinum polluit, cujus exemplum est Zidkia, qui juramentum Nebucadnezari praestitum laedit, ideoque poenam subiit, quod idem dixit Ezechiel: Tulit de semine terrae et posuit ille in terra pro semine*[2]). Ex quibus Rabbinorum dictis licet satis appareat, Judaeos illo quoque juramento, quod aliis quam Judaeis praestitum fuerit, egregie teneri, attamen aliorum scripta sunt quae docent, juramentum quod exigit Christianorum magistratus nullum esse, et in mente delendum. Sic legitur in ea parte *Schylchan aruch*, quae vocatur *Jore deah* Num. 232. §. 12. in annotatione fol. 199. col. 1: *qui ad jusjurandum vi perducitur, hoc quasi nullo non adstringitur, etsi dicat, se secundum multorum et Dei opinionem jurare*[3]). Sed isto juramento non libere praestito illud significari, quod a magistratu impositum, ex alio loco

---

pag. 1470. *Marburg. Sammt-Hofgerichts-Ordnung vom* 5. *Mai* 1673. *tit. XX*, 13. (*Samml. Fürstl. Hess. Landes-Ordnungen. Cass.* 1777. Tom. III. pag. 36.)

1) *J. A. Eisenmengers entdecktes Judenthum.* 1700. Tom. II. cap. IX. pag. 495.

J. Chr. G. Bodenschatzens kirchl. Verfassung der heutigen Juden sonderlich in Deutschland. Erlang. 1748. Tom. II. cap. V. pag. 362.

2) *Eisenmenger* l. c. pag. 497.
Bodenschatz l. c. pag. 363.

3) *Eisenmenger* l. c. pag. 510.
Bodenschatz l. c. §. 10. pag. 375.

elucet l. c.: *si rex princepsve capitis damnandi gratia jurato testari imperat, num quis Judaeorum cum Goja sive Christiana concubuerit, tale juramentum illiberum et in mente est relaxandum* [1]). Pari modo Rabbinus *Jacobus Weil* in libro suo *Scheeloth uthe-schuvoth* fol. 25. col. 2. num. 53: *si princeps Judaeum jurare jubet, ne imperium relinquat, in mente addat „hodie"; si vero exigit, ut nunquam fines suos egrediatur reservet „sub altera alterave conditione"* [2]). Rabbini praeterea docent, Judaeos per egregium sapientem, vel hoc deficiente per tres viros absquovis juramento posse absolvi [3]), quod per precationes (Col nidre) etiam fieri posse in illo die expiationis, quem vocant יוֹם הַכִּפֻּרִים (Levit. 23, 27.) statuunt [4]).

Quemadmodum Judaei apud Christianos rite jurant, diverso modo constitutum est. Oportet eos jurare in synagoga, certis diebus, coram numero Judaeorum, manibus aqua purgatis, induti certis vestimentis, inprimis *Coschere* sive veri *Tphillin* (*Gebetrie-*

---

1 et 2) *Eisenmenger* l. c. pag. 511.

Bodenschatz l. c. pag. 376; ubi exempla ex Talmudo invenies, inprimis Rabbinos *Akiva* et *Jochanan*, qui hoc modo perjurarunt.

3) Quomodo haec absolutio fiat, vid. in libro Rabbini *Mosche Mikkozi*, qui *Sepher mizvoth gadol* vocatur, fol. 70. col. 1. sub titulo: *Hilchoth Schevuoth*; vid. *Eisenmenger* l. c. pag. 494. *Bodenschatz* l. c. pag. 371.

4) Hoc latius fusiusque *Eisenmenger* et *Bodenschatz* ll. cc. tractant. — Ea de causa Judaei juraturi expressim pronunciare debebant, ut remissionis peccatorum, et in die illo expiationis participes esse nollent, si perjurarent, vel falsam in mente tenerent reservationem. *Bodenschatz* l. c. §. 14. pag. 383. — Boehmeri jus eccl. Prot. Tom. II. Append. pag. 1470.

men), *Tallis* et *Zizis* (*Hauptttuch*), in dextra legum tabulas tenentes ac in iisdem sinistra verba quaedam attingentes, versus orientem, ubi Hierosolyma sita est, spectantes. Tunc judex adjurationes dictat, quibus secundum M. Maimonidis sententiam (in Hilch. Schevuoth. C. X. §. 8.) juramenti inest vis atque valor. Quaevis adjuratio inchoatur cum verbis: „*Jude, ich beschwöre dich bei dem Adonai Elohe Israel.*" [1]) Hisce solennitatibus semper adhuc Judaei, cum jurant, utuntur [2]), verum etiam juramentum hac forma destitutum nullum et invalidum opinantur [3]).

---

1) *Bodenschatz* l. c. §. 13. pag. 380 sq.
Boehmer l. c. pag. 1466.
Cammer-Gerichts-Ordnung v. J. 1548. tit. 86. extat in *Sammlung Hess. Landes-Ordnungen.* Tom. III. pag. 36 sq. *Cammer-Gerichts-Ordnung v. J.* 1613. tit. 98; in *J. J. Schmaussens* corpus jur. publici. *Leipz.* 1774. pag. 510.

2) In pristino regno Westphaliae per decretum regale de 27. Mart. 1809. Art. 2. ritus in jurejurando judaico solemniter receptus abolebatur (*Sammlung v. Gesetzen u. s. w. zur Ergänzung des Gesetzbuchs Napoleons für Westphalen. Hannov.* 1811. pag. 529. — Item in *Hassia electorali* ex constitutione de 14. Febr. 1828 vetus Judaeorum jusjurandum cessat; eodem modo formalia antea usitata sublata sunt. Formula juramenti nunc praescripta sanae rationi convenit, nec superstitionem adjuvat. (*Sammlung von Gesetzen etc. für Kurhessen.* 1828. No. 1. pag. 1 sq.)

3) Consistorium Israeliticum Parisiense, duce *Cologna* Superrabbino, honoris legioni adscripto, harum ceremoniarum negligentia et omissione juramentum non invalescere definite elocutum est; quin imo edixit, solam responsionem: „juro" praevia provocatione in judiciis Francogallicis solita sufficere, ut eodem modo, quo Christianorum et conscientia Judaeorum adstringatur, neque leges Mosaicas aliud poscere nisi invocationem Dei in testem veritatis, cum nempe formalia neque in

§. 3.

Quid de caeteris gentibus dicendum est, qui christianam fidem non amplectuntur? — De antiquissimis non satis apparet, quid de juramento cogitaverint, nisi ex solenni quem in jurejurando adhibuerunt ritu, et ex gravissima qua perjuros affecerunt poena colligere velis, maximae jam auctoritatis apud illos fuisse jurisjurandi religionem [1]). Testis saltem in ea re nobis adest gravissimus Menenius Agrippa, qui dicit: „Ultima fides est communis omnium Graecarum ac barbararum gentium, quam ex earum usu nullum tempus eximit, videlicet jusjurandum et icta diis testibus foedera.“ [2])

Sed si ad *Graecos* animum advertis, qui tam morum elegantia, quam sapientiae profunditate plurimis caeteris gentibus tantopere antecellunt, non solum sanctissimum illis fuisse juramentum traditum nobis est, sed certa et clara in sapientum dictis illa se offert notio, qua sit provocatio numinis divino testimonio et remuneratione nixa. — Perantiqua iis erat cogitatio τῶν Θεῶν ὅρκιῶν [3]), et imprimis Jupiter apud Graecos jurisjurandi tutor et vindex perjurii colebatur, unde Ζεὺς Ὅρκιος appellabatur.

---

lege fundamentali, neque in ejus traditione authentica sint fundata. — *Allgemeine Kirchen-Zeitung*. 1827. No. 193. pag. 1584 — Vid. Philipson über die Verbesserung des Judeneids. Neustrel. 1797.

1) S. a Pufendorf de jure naturae et gentium. Francof. 1744. Tom. I. Lib. IV. cap. II. §. 1. pag. 467.

2) Dionysii Halicarn. antiquit. Roman. lib. VI. Sigismundo Gelenio interprete. Lugd. 1561. pag. 481.

3) Homeri Iliad. lib. XIX. vers. 258—260, ubi jam Agamemnon Jovem invocat testem omnium rerum scientem.

Quaedam adhuc sapientum de jurejurando pronunciata allegare liceat. *Solon* dicit [1]): Καλοκἀγαθίαν ὅρκου πιστοτέραν ἔχε. μὴ ψεύδου. *Pythagoras* [2]): ὅρκιόν τε εἶναι τὸν δίκαιον· καὶ διὰ τοῦτο Δία ὅρκιον λέγεσθαι. Idem [3]): μηδὲ ὀμνύναι θεούς· ἀσκεῖν γὰρ αὑτὸν δεῖν ἀξιόπιστον παρέχειν. Diodorus Siculus Pythagoram discipulis suis praecepisse narrat [4]), ut ad jurandum raro ac tarde accederent: ubi vero semel jurassent, ut prorsus sacramenti fidem servarent. In jurejurando, quod Ephebi Athenis praestare solebant, dii testes invocabantur: ἵστοροι θεοὶ τούτων [5]). *Thales* [6]): πρὸς τὸν μοιχὸν, ἐρόμενον εἰ ὀμόσει μὴ μεμοιχευκέναι, οὐ χεῖρον, ἔφη, μοιχείας ἐπιορκία. Vere apud *Stobaeum* dictum est [7]): οὐκ ἀνδρὸς ὅρκοι πίστις ἀλλ' ὅρκων ἀνήρ; ubi quoque *Alexis*: ὅρκος βέβαιός ἐστι ἂν νεύσω μόνον. Rationem sequentes, virum dare fidem jurijurando, non jusjurandum viro, Athenienses *Xenocrati*, sapientia pariter ac sanctitate claro, remiserunt jusjurandum [8]). „Qui cum testimonium dicere coactus ad aram accessisset, ut more civitatis juraret, omnia se vere retulisse (injurati testimonium non admittebatur); universi judices consurrexerunt, proclamaruntque ne jusjuran-

---

1) Diogen. Laert. ed. M. Meibomius. Amst. 1698. Solon. Segm. 60. Lib. I. pag. 38.

2) ib. Pythagoras. Segm. 33. lib. VIII. pag. 514.

3) ib. l. c. Segm. 22. pag. 506.

4) Aeg. Menagii observationes in Diog. Laert. Amstel. 1698. pag. 362.

5) J. Stobaei sententiae; serm. 41. pag. 252.

6) Diog. Laert. Thales. Segm. 36. Lib. I. pag. 22.

7) Stobaei sent. serm. 25. pag. 186.

8) Diog. Laert. Xenocrates. Segm. 7. Lib. IV. pag. 232.

dum diceret: quodque sibimetipsis postmodum dicendae sententiae loco remissuri non erant, sinceritati ejus concedendum existimarunt." [1])

Copiosiores adhuc nobis fuere *Romani* in tradenda jurisjurandi et indole et notione, et multa sunt, quae in illorum scriptis nobis occurrunt. Sed multum differt sapientum illius gentis sententia a multitudinis superstitione. Haecce Deos, ut veros actus testes et perjurii iratos judices juranti adesse putabat [2]), atque perjurio Deos ipsos et potissimum eos, quorum aram jurans tetigerat, offensos esse arbitrabatur [3]).

Saniorem et veriorem de jurejurando sententiam *Cicero* ponit. Nec verum testimonium, nec vindictam deorum credit, sed juramentum affirmationem religiosam esse dicit, dum forte de Reguli [4]) facto illo praeclaro verba facit [5]): „In jurejurando, non qui metus, sed quae vis sit, debet intelligi. Est enim jusjuran-

---

1) Valerii Maximi dictor. factorumque memorabilium libri IX; opera J. Minellii. Hafn. 1703. Lib. II. cap. X. pag. 124. cf. Ciceronis orat. pro L. Corn. Balbo cap. V.

De sapientum sententiis conferas quoque J. Chr. Fr. Meisteri librum *über den Eid nach reinen Vernunftbegriffen. Leipz.* 1810. Cap. V. pag. 44 sq.

2) Pristina juramenti forma jam hujus rei testis est. Polyb. lib. III. hist. — Plaut. in Aulularia v. 121.

3) J. F. Malblanc doctrina de jurejurando e genuinis legum et antiquitatis fontibus illustrata. Norimb. 1781. Lib. III. cap. I. §. 24 sq. pag. 63 sq.

4) Regulus, qui neque tum ignorabat, se Carthaginem redeuntem ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci; sed jusjurandum conservandum putabat. Quomodo ab ipso servatur, narrat et Augustinus; opp. Tom. V. de civitate Dei. lib. I. cap. XV. pag. 10.

5) Cic. de officiis lib. III. cap. 29.

dum affirmatio religiosa. Quod autem affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est. Jam enim non ad iram Deorum, quae nulla est [1]), sed ad justitiam, et ad fidem pertinet." Jam absque perjurii poena juramentum violare turpe, ideoque malum ingentissimum esse ducebat, dicens: „An est ullum majus malum turpitudine?" [2]) — Alio loco mendacium aequiparat perjurio [3]). „At quid interest inter perjurum et mendacem? ait. Qui mentiri solet, pejerare consuevit. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum: ut pejeret, exorare facile potero. Nam, qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit" etc. Caeterum regibus regnantibus et primis reipublicae temporibus juramentum sanctissimum habebatur [4]), et tantum valebat, ut ipsum vi extortum servandum censerent [5]). „Nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores (nempe patres nostri) arctius esse voluerunt", ait Cicero [6]). „Ad haec consultanda procurandaque," T. Livius [7]), „multitudine omni a vi et armis conversa, et animi aliquid agendo occupati erant, et Deorum assidua insidens cura, cum interesse rebus humanis coeleste Numen vi-

1) Ex quo sequitur, ut Cicero sententiam Deos irasci posse, eorum dignitati haud consentaneam aestimaverit.

2) De offic. l. c.

3) Orat. pro Q. Roscio Comoed. cap. 16.

4) De offic. lib. III. cap. 10.

5) l. c. cap. 31. Hinc ille Pomponius, tribunus plebis, inducitur a Cicerone.

6) De offic. lib. III. cap. 31.

7) T. Livii P. historiar. libri. Bipont. 1784. Tom. I. lib. I. cap. 21. pag. 33.

deretur, ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum, proximo legum ac poenarum metu, civitatem regerent"; et alio loco [1]): „Nondum haec, quae nunc tenet seculum, negligentia Deum venerat: nec interpretando sibi quisque jusjurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat." — Postea autem jurisjurandi auctoritas propter religionem neglectam, mores in pejus ruentes et ipsius juramenti frequentem usum magis magisque evanuit [2]).

Qualem vero apud *veteres Germanos* juramentum habuerit sanctitatem, ex poena perjurii atque falsi testimonii, quae erat crudelissima, et vulgo in manus perfidae abscissione consistebat, facile intelligimus. Jurabant majores nostri per Deum omnipotentem (Odin vel Thor), sive alium quoque minorum gentium deum, quem implorabant, ut vera asseverantem adjuvaret perjuranti autem non assisteret [3]). Praesens igitur sperabant numinis auxilium, praesentem fortasse metuebant perjurii poenam, et quod ingenuis, quibus solis permissum fuit jurare [4]) sacramentum, id servis aliis-

---

1) l. c. lib. III. cap. 20. pag. 205.

2) Cassii Dionis histor. Roman. Lips. 1818. Tom. III. lib. LIV. 10. pag. 188.

Quibus cogitationibus sibi jusjurandum fingebant Romani, haec pluribus verbis exponunt Malblanc l. c. nec non Fr. Bayer in libro suo: *Betrachtungen über den Eid. Nürnb.* 1829. pag. 52 — 75.

3) J. Grimm's deutsche Rechtsalterthümer. Gott. 1828. pag. 895.

4) l. c. pag. 861. Apud Frisones postea et liti, apud Burgundiones feminae et infantes, denique apud Longobardos etiam mulieres atque servi admittebantur. l. c. pag. 860. 861. cf. Siccama ad tit. 12. Leg. Fris.

que qui populi jure immediate non gaudebant hominibus judicium illud Dei, quod in ordaliis [1]), (e. g. certamine singulari, judicio ferri candentis, aquae etc.) ferebatur. Quae quidem vulgaris et omnium animis insita opinio ne christiana quidem religione nec legibus postea latis subito subverti potuit, sed servata primum, imo sacro ecclesiae ritu vestita, postea demum sensim sensimque sublata est [2]).

§. 4.

Sicut nempe ex *christianae* religionis praeceptis verior et castior Dei cognitio excolebatur, ita et dignior jurisjurandi notio recipiebatur, licet *Christianis* et ipsis Judaeorum illa juramenti notio, quam supra exposui, diu sederet, et hodie adhuc multi sint, qui Deum invocent testem veri et vindicem falsi. Sic dicit *Clemens* Alexandrinus [3]): *ὅρκος ἐστιν ὁμολογία καθοριστική, μετα προσπαραλήψεως θείας. Augustinus* [4]): „jurare est Deum testem invocare"; *Gregorius* Nyssenus [5]): *ὅρκος ἐστὶ λόγος πιστούμενος δι' ἑαυτου τὴν ἀλήθειαν.* — Mox vero varii errores in Jesu et Apostolorum puram doctrinam irruebant, quod quidem et juramenti notioni maximi fuit detrimenti; nam penes librum evangeliorum, penes martyres et angelos jurare coeperant, atque majorem vim adhuc dederant jurijurando, quod sanctorum invocatione, vel eorum

---

1) l. c. pag. 911.

2) l. c. pag. 909.

3) Opera. Colon. 1688. Stromat. lib. VII. pag. 728.

4) Opp. Tom. X. de verbis Apostoli serm. XXVIII. cap. V. pag. 132.

5) Opera. Paris. 1638. Tom. I. Homil. IV. in Cantic. pag. 533.

sepulcris et reliquiis attingendis, inprimis autem sacra biblia firmaretur. Tunc temporis juramentis mira effici posse homines putabant, id quod juramento ipsi magnam tribuebat vim et auctoritatem. Sic narrat *Augustinus* [1]: „Nos novimus Mediolani apud memoriam sanctorum, ubi mirabiliter et terribiliter daemones confitentur, furem quendam qui ad eum locum venerat ut falsum jurando deciperet, conpulsum fuisse confiteri furtum, et quod abstulerat reddere.“ *Gregorius*, episcopus Turonicus, jusjurandum esse judicium Dei omnipotentis confirmat, nec non quod ad tumulum Martyris sub sacramenti interpositione dixeris, discernere virtutem sanctam patroni [2]. — In actis concilii *Meldensis*, anno Christi 845 Caroli Calvi regis indictione celebrati, cap. 39., tantum hoc malum profertur, „ut ad sanctuaria martyrum, ubi diversorum aegritudines sanantur, ibi perjuri, licet manifeste interdum vexari non videantur, justo Dei judicio a daemonibus arripiantur, sicut sanctus dicit Gregorius: Ad horum corpora aegri veniunt et sanantur: daemoniaci veniunt et curantur: perjuri veniunt, et a daemonio vexantur.“ [3]) Jurisjurandi praestationem esse Dei judicium et in jure canonico reperitur.

Neque philosophia illa *scholastica* medii aevi prorsus aliena est a juramenti notione. Docet: jusjurandum esse divini testimonii praestationem, ad alicujus rei certam confirmationem efficiendam; itaque

---

1) Tom. II. epist. 137. pag. 223.

2) De gloria Martyrum et confessorum. lib. II. cap. 19; in Biblioth. veter. patrum. Lugdun. 1677. Tom. XI. pag. 865, cf. ejusdem de miraculis D. Martini lib. I. cap. 31; ibid. pag. 903.

3) Act. concilior. Paris. 1714. Tom. IV. pag. 1489.

jurare nihil aliud esse, nisi Deum testem invocare; sed licitum quoque esse per creaturas jurare, quia in ipsis divina eluceat veritas, atque creator in creato veneretur; infirmis has adorantibus illud prohibitum esse. Ita praecipue *Petrus Lombardus* [1]) et *Thomas Aquinas* [2]) loquuntur, qui in universum varie de jurejurando disceptant.

Secundum *jus canonicum*, quod ex conclusis conciliorum et decretalibus pontificum paullatim collectum est, jusjurandum ad cultum refertur divinum, et hujus cultus speciem exhibet [3]), vera est actio religiosa, quo jurans *Deo ipsi se obligat* [4]). Qua ratione et juramentum clericorum monopolio annumerandum censet [5]). — Quum inde esset actus religionis, nec requisita illa: *judicium* in jurante, *veritas* in mente et *justitia* in objecto abesse debebant. Dicuntur vulgo tres comites jurisjurandi, relati a propheta Jeremia, qui cap. IV, 2. „et jurabis: vivit Dominus, et in veritate, et in judicio et in justitia" ait [6]).

Huicce veritati quam maxime repugnat reservatio illa mentalis, i. e. interna in pollicitationibus et jura-

---

1) Lib. sententiar. lib. III. cap. 39.

2) Summa theolog. Colon. Agr. 1622. II. 2. Quaest. 89. Art. I—X. pag. 168 sq.

3) Ex hac opinione libri evangeliorum usi, clerici adhibiti, juramenti formula in precationis formam redacta, a quibus recedere peccato dabant.

4) Idem sentit Hugo Grotius. Opera theolog. Basil. 1732. Tom. II. pag. 56; cf. librum suum de jure belli ac pacis. §. 14. pag. 394.

5) J. H. Boehmeri jus eccles. Protest. Hal. 1738. Tom. I. lib. II. tit. 24. §. 8 et 9. pag. 1268.

6) Decret. Greg. lib. II. tit. 24. cap. 26.

mentis exceptio [1]) aeque ac ambiguitas, quae facile occurrit, ubi vel verbum plures habet significatus, vel thesis varium admittit sensum, quibus juramentum infirmare et invalidum reddere student. Quas quidem fraudes apud *Jesu societatis sodales*, si quid commodi inde sperarent, secundum principium illud nulli non ignotum, quo media fine justa redduntur, in quotidiano usu fuisse, quis est, quem hoc fugiat? De qua Jesuitarum doctrina Blasius *Pascal* nos certiores reddit, narrans colloquium patris Lojolitae cum discipulo, cui modum, quo absque mendacio falsum possit contendi, docet [2]).

„C'est à quoi sert admirablement notre doctrine des Equivoques, par laquelle *il est permis d'user de termes ambigus*, *en les faisant entendre en un autre sens qu'on ne les entend soi même*, comme dit Sanchez Op. Mor. p. 2. l. 3. c. 6. n. 13. Je sai cela, mon Père, lui dis-je. Nous l'avons tans publié, continua-t-il, qu'à la fin tout le monde en est instruit.

---

1) Huic reservationi mentali et Jacobus *Weil* Rabbinus, ut supra §. 2. vidimus, favet. — Si *Cicero* in lib. III. de offic. cap. 29: „non enim falsum jurare pejerare est, ait; sed quod ex animi tua sententia juraveris, sicut verbis concipitur, more nostro, id non facere, perjurium est“, qua occasione ad id quod Euripides (Hyppolit. v. 612): ἡ γλωσσ' ὀμωμοχ', ἡ δε Φρὴν ἀνωμὸτος, provocat, facile credas, illum mentales reservationes tueri velle, sed vera ejus sententia ex loco praecedenti: „quod enim ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est“, perspicue eo prodit, ut formula in jurejurando usitata: „ex animi sententia“, altiorem habeat auctoritatem: Cf. de offic. lib. III. cap. 32, „fraus adstringit, non dissolvit perjurium.“

2) Les provinciales, ou lettres ecrites par de Montalte (Pascal). Cologn. 1739. Tom. II. lettre IX. pag. 196.

Mais savez-vous bien comment il faut faire quand on ne trouve point de mots équivoques? Non, mon Père. Je m'en doutois bien, dit-il, cela est nouveau: c'est la doctrine de restrictions mentales. Sanchez la donne au même lieu: *On peut jurer*, dit-il, *qu'on n'a pas fait une chose, quoiqu'on l'ait faite effectivement, en entendant en soi-même, qu'on ne l'a pas faite un certain jour, ou avant qu'on fût né, ou en sousentendant quelqu'autre circonstance pareille, sans que les paroles dont on se sert, ayent aucun sens qui le puisse faire connoitre. Et cela est fort commode en beaucoup de rencontres, et est toujours très-juste quand cela est nécessaire ou utile pour la santé, l'honneur, ou le bien.*

Comment, mon Père, et n'est-ce pas-là un mensonge, et même un parjure? Non, dit le Père. Sanchez le prouve au même lieu, et notre P. Filiutius aussi tr. 25. c. 11. n. 331 parce, dit-il, que c'est *l'intention qui règle la qualité de l'action.* Et il y donne encore n. 328 un autre moyen plus sûr d'éviter le mensonge. C'est qu'après avoir dit tout haut, *Je jure que je n'ai point fait cela*, on ajout tout bas, *aujourd'hui:* ou qu'après avoir dit tout haut, *je jure*, on dise tout bas, *que je dis*, et que l'on continue ensuite tout haut, *que je n'ai point fait cela.* Vous voyez bien que c'est dire la vérité."

In *sacrorum emendatione* saeculi XVI notiones jurisjurandi primariae: verum testimonium adesse et officium vindicis Dei, quidem remanebant, sed tamen multum superstitiosi, praecipue invocatio sanctorum et tactio reliquiarum, abrogabatur. Inde variae coortae erant controversiae, cum Protestantes per Sanctos jurare plane recusassent; rem ita definivit *Transactio*

Passaviensis de anno 1552 [1]), et praesertim, qui illam magis determinat, *Recessus imperii* de anno 1555 [2]), ut in posterum sub communi formula: „*so wahr mir Gott helfe und sein heiliges Evangelium*“ juraretur [3]).

Accedit quod *Lutherus* celeberrimus de juramento profitetur: „*Schwören ist nichts Anders, als Gott zum Zeugen anrufen, und zu einem Mittel, uneinige Leute zu vertragen*“ [4]), et alio loco dicit: „*Wenn wir schwören, fassen wir allezeit zwei Dinge zusammen, nämlich, dass wir Gott um Hülfe und Schutz anrufen und die Strafe über uns selbst fluchen. Als wollten wir sagen: Als mir Gott helfe, oder nicht —, so ich den Eid halte, wolle er mir gnädig seyn, wo ich aber damit Jemand betrüge, so strafe er mich.*“ [5]) — Non invenimus invocationem Dei in vindicem apud *Calvinum*, jusjurandum his verbis definientem: „Est Dei attestatio ad veritatem sermonis nostri confirmandam. Quae enim manifesta in Deum probra continent

---

1) *Vertrag zu Passau aufgericht und* ratificirt anno 1552 *den* 2. *Augusti.* §. 10. in J. J. Schmauss corp. jur. publ. *Leipz.* 1774. pag. 150.

2) *Reichs-Abschied zu Augspurg aufgericht A.* 1555 d. 25. Sept. §. 107. l. c. pag. 191.

3) Jam *Otto* rex, quem Johannes papa corona Caesarea ornavit, juramentum huic praestitum his verbis confirmavit: „Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei evangelia.“ Decret. Pars I. Dist. LXIII. cap. 33. — Inter Protestantes secundum hodiernum fori institutum formula: „*So wahr mir Gott helfe durch Jesum Christum*“, usitata est, quam vero utilissimam juramentum recipientes saepissime negligenter praetermittunt.

4) *Geist aus Luther's Schriften. Darmst.* 1828. Tom. I. pag. 721.

5) l. c. pag. 719.

execrationes, indignae sunt quae inter juramenta censeantur." [1]) Sed sententiam de Deo vindice plane non excludit, nam alio loco ait: „Formulae, quae in scripturis usurpantur: Vivit Dominus: haec faciat mihi Dominus et haec addat: Testis sit Deus in animam meam: hae insinuant Deum advocare nos non posse orationis nostrae testem quin perjurii ultorem nobis inprecemur si fallimus." [2]) — Ambo viri summe reverendi juramentum ad cultum divinum referunt; sic Lutherus: „*Durch einen rechten Eid wird auch äusserlich Gottes Namen recht gebraucht und geehret.*" [3]) „*Der Eid ist eines von denen Dingen, die da sehr heilig sind; denn er begreifet in sich den Namen Gottes, den Gottesdienst, die Anrufung und alle göttliche Werke*" [4]), et Calvinus: „Ejusmodi attestatio, ubi rite peragitur, species est cultus divini. [5])

Posterioribus temporibus, inprimis saeculo XVIII, purior quidem atque sanior proposita est juramenti notio; attamen omnes fere fefellit rejicienda illa imo miseranda opinio: jusjurandum esse asseverationem, ad quam confirmandam Deus vocaretur in testem et vindicem, ut *H. Grotius* [6]), *S. a Pufendorf* [7]), *Christ.*

---

1) Institutio christian. religion. Genev. 1568. lib. II. cap. VIII. 23. pag. 138.

2) l. c. 24. pag. 138.

3) *Werke. Jena* 1586. Tom. IV. fol. 513.

4) *Geist aus Luther's Schriften.* l. c. pag. 715.

5) l. c. 23. pag. 138.

6) Opera theolog. l. c. pag. 56. De jure belli ac pacis. l. c. §. 10. pag. 391.

7) De officio hominis et civis secundum legem natural. Giess. 1741. Lib. I. cap. XI. §. 1. pag. 228. — De jure naturae et gentium. Francof. 1744. Lib. IV. cap. II. §. 2. pag. 468.

Wolff [1]), *J. H. Boehmer* [2]), *G. L. Boehmer* [3]) aliique docti; quibus alii vario licet modo adstipulantur. Plane autem a veritate aberrare videntur Joh. Christoph. *Doederlein* et Joh. Dav. *Michaelis*, quorum ille jurantem Deum repraesentari contendit [4]), hic vero jusjurandum et secundum christianam fidem invocationem a Deo comprobatam atque exauditam, seu pactum Deo auctore initum definit [5]).

Optime de doctrina jurisjurandi meruerunt: Alex. Theoph. *Baumgarten*, qui primus veram et sinceram ejus notionem hisce verbis exponit: „In jurejurando declaramus, vel tacite, vel expresse, non solum nos Deum venerari, sed et omniscium, justissimum, aversantem mendacia, peccata, mala, sanctissimum, benignissimum. Ejusmodi ergo asseveratio religiosa est medium admodum certum, foecundum et breve significandae pietatis, ergo minime rejiciendum." [6]) Tunc Joh. Godofred. *Quandt*, qui sententiam illam vulgarem, secundum quam juramentum in invocatione Dei in

---

1) *Vernünftige Gedanken von der Menschen Thun und Lassen. Halle* 1723. §. 996. pag. 692.

2) Institt. jur. canon. Hal. 1741. Lib. I. tit. 24. §. 1. pag. 264. Jus ecclesiast. Protestant. ib. 1738. Tom. I. lib. II. tit. 24. §. 2. pag. 1265.

3) Principia jur. canon. Gott. 1802. Lib. III. sect. I. tit. XI. §. 329. pag. 260.

4) *Entw. der christl. Sittenlehre. Jena* 1789. §. 222. pag. 197 sq.

5) *Mosaisches Recht. Frankf.* 1780. Tom. V. §. 256. pag. 198. Quam sententiam infirmam esse ostendit Christoph. Fred. de Ammon. in *Handb. der christl. Sittenlehre. Leipz.* 1826. Tom. II. §. 92. pag. 80.

6) Ethica philosophica. Hal. 1751. §. 147. pag. 66.

testem et vindicem consistit, egregie refutat [1]). Deinde Justus *de Schmidt-Phiseldeck*, qui juramentum solennem asseverationem alicujus dicti esse contendit, adjiciens tamen, ex philosophiae praeceptis nihil aliud id esse, nisi verbum solenniter pronunciatum [2]). Accedit Franc. Volk. *Reinhard*, qui jusjurandum definit: „*Der Eid ist eine mit ausdrücklicher Berufung auf Gott den Allwissenden und Gerechten gegebene Versicherung von der Wahrheit einer gewissen Sache.*“ [3]) Nec minus bene meritis de jurisjurandi notione excolenda Jul. Fred. *Malblanc* [4]) adnumerandus est, quamvis ab inveterata illa notione non plane recedat [5]). — Joh. Christ. Fred. *Meister* inprimis notionem de jurejurando verae et sincerae philosophiae adaptavit, ubi dicit: „*Der Eid ist eine religiöse Betheurung*,

---

1) Ad doctrinam de jurejurando flores sparsi. Lips. 1789.

2) *Ueber den Eid. Helmst.* 1798. Auctor hic parum credit, nam secundum ejus definitionem jusjurandum est sola ethica, non religiosa affirmatio.

3) *System der christl. Moral. Wittenb.* 1804. Tom. III. §. 355. pag. 688. In qua definitione jurisjurandi promissorii notio desideratur.

4) Doctrina de jurejurando e genuinis legum et antiquitatis fontibus illustrata. Norimb. 1781.

5) l. c. §. VI. pag. 14. In noviori editione, Tubing. 1820, in notis §. VI. adjectis verba facit de eo, quid nam sibi velit invocatio illa Dei in testem et vindicem: „Sub *Deo teste*, ait, nihil aliud intelligitur, quam relatio jurantis ad veritatem Dei et ejus qualitatum, tanquam summum veritatis symbolum et criterium, cujus comparatione jurans veritatem assertionum suarum affirmare cupit; sub *Deo vindice* non illa rudis vindicta humano more concepta, quae priscorum hominum animis inhaesit, sed privatio illius auxilii divini, perfectionis et beatitudinis post hanc vitam, non nisi probis et piis promissae, secundum praecepta religionis revelatae.“

bestehend in dem ausdrücklichen, genau bestimmten, öffentlichen und feierlichen Bekenntniss, dass man in eben dem Augenblick der Aussage (des Versprechens) nicht nur überhaupt die Pflicht der Wahrhaftigkeit (der Worttreue) in der Seele ernsthaft sich vorgestellt habe, sondern auch in ihrer unmittelbaren Beziehung auf Gott; als wesentliches Attribut göttlicher Natur; und als Gebot Gottes an die Menschheit zur Grundlegung des geselligen Lebens, folglich unter einem solchen Aufgebot aller sittlichen, aller religiösen Beweggründe, dass, wenn nach jener Ueberlegung dennoch der Wahrhaftigkeit (der Worttreue) entgegen gehandelt werde, der Schwörende in der höchsten sittlichen Verdorbenheit, und auf welche gar keine Triebfeder des Guten mehr wirken könne, durch eine Thatsache sich darstellen würde" [1]) — Prae caeteris autem laudandus est J. M. *Sailer*, qui nunc episcopale ornat solium. Is enim, licet in catholica ecclesia potissimum vulgaris illa et erronea de juramento opinio adhuc vigeat, docet: „*Der Eid ist, seiner Genesis nach, eine feierliche Erinnerung an Gott, und besonders an Gottes Allwissenheit, Heiligkeit und Gerechtigkeit, und an die Abhängigkeit des Menschen von Gott und an Gottes Alleinfluss auf die menschlichen Schicksale, durch welche ich mir die Pflicht, die Wahrheit auszusagen, oder ein gegebenes Versprechen zu erfüllen, herzandringender machen, andern aber ein grösseres Vertrauen zu meiner Willigkeit, die Wahrheit auszusagen, oder mein Versprechen zu erfüllen, einflössen soll, und eine dieser Erinnerung zufolge gegebene Erklärung, was ich für wahr halte oder verspreche. Der Eid ist also die Versi-*

---

1) *Ueber den Eid, nach reinen Vernunft-Begriffen.* Leipz. 1810. *pag.* 25.

cherung von der Wahrheit meiner Aussage unter feierlicher Berufung auf Gott als den Allsehenden, Allheiligen, Allgerechten." [1]) — Quid, quod hoc ipso tempore Fr. *Bayer*, qui amplissimum de jurejurando librum emittit, de juramento loquitur: „*Der Eid ist eine feierliche Versicherung, dass eine Thatsache wahr sei, oder dass man ein Versprechen erfüllen wolle, durch welche der Schwörende bekundet, dass er, als der Bekenner einer, auf den Glauben an Gott sich gründenden, Religion, von der moralischen Verbindlichkeit, die Wahrheit zu sagen, oder sein Versprechen zu erfüllen, lebhaft überzeugt sei, und den festen Glauben hege, Gott müsse, als ein allwissendes Wesen, die gegebene Versicherung kennen, und die Verletzung der übernommenen Verbindlichkeit, als ein allgerechtes Wesen, sicher bestrafen.*" [2])

Haec potissimum sunt, quae de jurisjurandi notione literis mandata invenies. Variae sane sunt et maxime discrepantes inter se doctorum virorum sententiae, quarum alias, si accuratius eos examinaveris, longius videbis a veritate aberrare, alias autem propius ad veram rei indolem accedere. Mihi quidem diutius de ea re cogitanti et omnia perpenso animo consideranti illa sola definitio rem absolvere videtur, qua juramentum est: *severa atque solennis sub invocatione summi numinis facta affirmatio de veritate dicenda aut de promissis inviolabiliter servandis.* Haec definitio nempe sanae rationi non minus quam christianae

---

1) *Handbuch der christl. Moral zunächst für künftige kathol. Seelsorger und dann für jeden gebildeten Christen. Münch.* 1817. Tom. II. §. 203. pag. 483.

2) *Betrachtungen über den Eid. Nürnb.* 1829. §. 105. pag. 167.

religionis praeceptis est consentanea, neque favet turpitudini, nec superstitioni [1]).

CAP. II.

AN JUSJURANDUM SIT ADMITTENDUM.

§. 5.

Nunc ad quaestionem transeamus, an in universum jusjurandum admittendum sit? Nihil sane illiciti, nihil nefasti juramento inesse mihi persuasum est, si modo vera et sincera ipsius notio servetur; nam dubitari non potest, quin opinio illa, Deum et testem esse et vindicem, tam rationi, quam religioni christianae omnino repugnet. Quam ob rationem enim tale testimonium necesse esset? quum Deus omnia providens atque animadvertens jam quamlibet noscat affirmationem, atque etiam non invocatus cujusvis asseverationis sit testis? Nam etsi nec mendacium nec perjurium divinam evitabit poenam, tamen Deum temere hominibus aequiparamus, si eum, qui est et caritatis et justitiae summum exemplum, ad vindictam, quod vitium hominibus solis in calore iracundiae occurrit, vocamus. Igitur rationi contrarium est et notioni Dei et ejus

---

1) Kant in libro suo: *Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft; pag.* 226. *Anmerk.* contendit, juramentum non solum superstitioni favere, sed etiam ea niti. Quod quidem ex falsa solummodo illa jurisjurandi notione prodit, qua jurans divinas coërcitiones, quibus jam propter tale mendacium obnoxius esset, in se suscitaret. Hacce vulgari sententia sane illorum damnosae opinioni prospici potest, qui putant juramentum existimationi veritatis nocere, ejusque majori gravitate simplex mendacium licitum reddi; sed vera juramenti notio abhorret ab hoc errore.

nexui, quo nobiscum conjunctus est, quam maxime repugnans, Deum et testem vocare et vindicem. Semetipsum adjumento divino verbis abdicare, absurdum et summi numinis violatio est [1]). Caeterum, id quod multi contendunt ex ipsius Pauli apostoli doctrina, Deum testem esse, a veritate alienum est. Etiamsi quoque (Rom. 1, 9. et aliis locis) Deum testem invocet, nihil aliud sibi vult, nisi ut Deus sciat, id quod etiam 2 Cor. 11, 31. et alias expresse fatetur. Nihil igitur aliud est, nisi Deum esse omnia scientem assertio, si apostolus ille testem eum invocat.

Invocando vero in praestatione juramenti Deum, omnia providentem et justissimum, nostram erga Deum pietatem testamur; quo enim palam fatemur, Deum esse eumque, qui internum nostrum noscat, nos obligationes jurejurando munitas violantes, aut a veritate deflectentes, justo esse puniturum [2]). Jusjurandum

---

1) Num apud homines rudes et incultos, quos poena tam humana, quam divina, solummodo a perjurio deterrere videtur, verior de jurejurando notio sit applicanda? Sententiam, poenam singularem sequi perjurium, apud plebem maximi esse ponderis, negari quidem nequit, cum is ipse a perjurio magis, quam mendacio abhorreat, qui timet, ne propter illud crimen speciali coërceatur poena. Sed et vera juramenti notio eundem effectum producit, ubicunque vera et sincera adest de Deo ipso atque religione notio. Quae cum ita sint, praecipue est providendum, ut et multitudo hominum veriorem de Deo ejusque institutionibus cogitationem adipiscatur.

2) „*Der Eid ist nichts Anderes*, ait Ammon, *als eine feierliche Erneuerung des Andenkens an Gott und der Abhängigkeit unsers Willens von seinen heiligen Gesetzen. Wer daher den Eid verbietet, muss auch die Uebung der Andacht und des Gebetes verwerfen, wozu sich die Kantische Moral geneigt genug beweisst; es ist das aber ein Götzendienst der praktischen Vernunft, mit dem alle Religion ein Ende hat. In dem Begriffe*

igitur maxime est venerandum, quia jurantes semper palam profitemur religionem, nec non dicto cuidam summam afferimus fidem. At licitum erit, in firmanda veritate aut praestanda promissione disserte ad Deum provocare, atque hac in re Dei omniscientiam et justitiam in novam reducere memoriam, quo maxime ad veritatem ac fidem perducamur? Neutiquam quid prohibiti in hoc invenies; nam majoris auctoritatis dicto cuidam adipiscendae causa cur non dicamus: „res ita „sese habet, quod Deus scit etc.“; aut: „hoc illudve promitto, dum Deum habeo in mente, qui cogitationes meas et proposita bene novit.“ Per hoc ipsi ad veritatem atque fidem maxime impellimur, aliosque movemus, ut majorem nobis habeant fidem [1]). Idque est natura jurisjurandi atque nihil continet, quod illicitum illud reddat. Quare rationi nostrae consentaneum esse et honestum negari non poterit.

---

der wahren Gottesverehrung liegt folglich auch die Zulässigkeit des Eides, der, als Bekenntniss des Glaubens an das Reich Gottes und eine moralische Weltordnung offenbar den guten und religiösen Handlungen zuzuzählen ist.“ Handb. der christl. Sittenlehre. Leipz. 1826. Tom. I. §. 93. pag. 92.

1) Recte dicit Reinhard: *„Es kann eben so wenig unerlaubt seyn, bei einer Erklärung, welche man von sich giebt, ausdrücklich hinzuzusetzen, dass man sich dabei erinnere, Gott wisse allen Betrug und strafe ihn, und mithin zu schwören, als es unerlaubt ist, sich dieses Hauptmotiv, die Wahrheit zu sagen, blos in Gedanken vorzustellen. Der förmliche Eid unterscheidet sich von der frommen Hinsicht auf Gott, mit welcher ein weiser und tugendhafter Mensch überall handelt, blos dadurch, dass bei demselben diese Hinsicht ausdrücklich und wohlbedächtig angezeigt wird, da man dies sonst nicht zu thun pflegt.“ System der christl. Moral* l. c. pag. 691.

§. 6.

Jamjam jusjurandum permittendum esse ex eo colligi potest, quia tam privatae, quam publicae saluti est necessarium. Est enim summum a Deo et legislatoribus comprobatum medium eruendae veritatis in rebus dubiis et firmandi promissi. Qua de causa etiam apud omnes populos bene moratos, uti supra vidimus, jusjurandum sanctissimum habetur et gravissimum. Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem ipso arctius patres nostri putaverunt; nullum prudentissimi nostri aevi legislatores in ejus locum substituere ausi sunt. Quamvis certe absque juramento cuidam incumbat officium et veritatis dicendae et promissionis implendae, id, quod a bono viro fieri juste exspectes, tamen memoria Dei omniscientis et justissimi haud dubie ad veritatem in asserendo et ad fidem in implendo multos compellet, qui alioquin neque vera dixissent, neque promissis stetissent. Sic Sophocles apud Stobaeum [1]:

Ὅρκου δὲ προστεθέντος ἐπιμελεστέρα
Ψυχὴ κατέσται. δισσὰ γὰρ φυλάσσεται
Φίλων τε μέμψιν, κεἰς θεοὺς ἁμαρτάνειν.

Nunquam juremus quidem opinantes, sola nos teneri asseveratione jurata et ad veritatem dicendam et ad promissum sequendum; nihilominus vero innumeros sine jurejurando ad id obligatos sese non censere experientia docet. Facilius saltem occurrit, ut calamitatis metu vel commodi illecebris perducti obligationes juramento non munitas laedant. Eo magis jurisjurandi necessitatem agnoscere nos oportet, quo magis appareat, Dei omniscientis atque justi provocatione quam maxime veritatem fidemque coli.

---

1) Sentent. Serm. 25. pag. 186.

At si quis objicere velit juramento huic necessario adhibendo dicens, saepenumero tamen fieri, ut inefficax maneat, imo, si ad judiciale respicere velis, nonnunquam cum magno hominum detrimento conjunctum sit [1]); huic facile habes, quod respondeas. Nihil aliud hoc probat, nisi non semper ad propositum finem perducere juramentum, neutiquam vero esse supervacaneum. Quis autem tam stultus erit, quis tam insanus, qui actum hunc salubrem et necessarium, quo negotia hominum et inprimis controversiae in judicio tractandae tantopere adjuvantur, quo fiducia magistratuum in subditos et civium inter se praecipue firmatur, quo homines in republica ad unum firmum corpus maxime conjunguntur, eam ob rem rejicere velit, quia nonnunquam aliquid damni inde oriri queat. Quae enim res est, qua abuti non possumus? Praestantissimum, saluberrimum et sanctissimum, quod hominibus cognitum est et gnarum, in impiorum scelestorumque manibus saepe pravitatis fuit ratio. Num propterea illud bonum esse cessat, aut idcirco non adhibendum? Insuper nemo est, quem fugit, in multis innumerabilibus causis sine juramento veritatem nunquam esse detectam, difficillimas lites nunquam recte decisas, mutuam fidem potius fractam, atque multos insontes homines bonorum et honoris et vitae jacturam fecisse [2]). Multi enim homines non verbis sunt, et disputatione philosophorum, sed jurejurando ad veri professionem cogendi.

---

1) Sic Haerter l. c. pag. 9—18.

2) Si judex, secundum sententiam Anonymi in *Monatsschrift für Predigerwissenschaften* l. c., in rebus tantum claris atque optime illustratis, non vero in rebus dubiis judicare, atque actorem donec afferat probationes validas, repellere velit, non jus sed summa saepissime injuria obtineret.

Quid ergo? Juramentum est utilissimum, inprimis necessarium reipublicae, quae eo deficiente magno detrimento afficeretur; ultimum est remedium, quo dicta atque promissa summam veritatem ac fidem adipiscuntur [1]).

Dolendum sane est, saepissime hominibus fidem habendam non esse, nisi provocaverint ad Deum omnipotentem. Attamen iis adstipulari non possumus, qui juramentum ex sola morum pravitate profectum esse contendunt [2]). Licet enim negari nequeat superva-

---

1) Ex hac ratione etiam dicit Apostolus: πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος, Hebr. 6, 16; et Lutherus: „*Zum Guten und des Nächsten Besserung soll man schwören. Denn es ist ein recht gut Werk, dadurch Gott gepreiset, die Wahrheit und Rechte bestätiget, die Lügen zurückgeschlagen, die Leute zufrieden gebracht, Gehorsam geleistet, und Hader vertragen wird; denn Gott kommt selbst da ins Mittel, und scheidet Recht und Unrecht, Böse und Gut von einander.*“ *Geist aus Luthers Schriften* l. c. pag. 720.

2) Hanc sententiam primus Chrysostomus ponit; Comment. in N. T. Lutet. P. 1623. Tom. III. in Acta apostol. Cap. IV. Homil. 9. pag. 90 et 91. „Unde ingressum est jusjurandum? ait; quando mala creverunt, quando omnia simul sursum et deorsum facta sunt, quando ad idolatria inclinarunt: tunc sane, quando infideles apparuerunt, Deum vocabant testem, quasi fidejussorem dantes dictis satisfacturum. Jusjurandum enim est fideijussio, ubi mores fidem non habent: unde primum taxatur is, qui jurat, si ei fides non habeatur absque fidejussore et fidejussore maximo: et quia tam parum homines sibi mutuum credunt, non hominem quaerunt fidejussorem, sed Deum.“ In eadem fuere sententia complures; et adhuc in recentiori tempore: J. G. *Quandt* l. c. pr.; *Staeudlin* l. c. pag. 36; *Anonymus* in *Monatsschrift* etc.; Chr. Fr. *de Ammon* l. c. pag. 73 et alii. Minime vero his adsentior, quia homini convenit asseverationes et dare et accipere;

cuum esse hocce et veritatis eruendae et sinceritatis excitandae remedium, si omnes essemus plane perfecti et tali morum integritate praediti, quale nobis Jesus Christus et summum et unicum divinum proposuit exemplar; tamen perquam notum est, nos omnes esse ab hoc fine longissime remotos, nec unquam ab humana infirmitate plane futuros alienos. Quae cum ita sint, nec unquam sub hoc sole plane perficiamur, sed potius ad summum perfectiores nos reddere studeamus; cum sempiternus sit religionis ac morum cum regno voluptatis conflictus, nemo est, cui non appareat, jusjurandum et humanae naturae esse maxime consentaneum, et singulorum non minus, quam reipublicae saluti perquam necessarium [1]), id ipsum et honestum [2]).

§. 7.

Sed ad ea nunc progredimur, quae de jurejurando admittendo religio doceat, et inprimis quae *veteris* Testamenti documentis de hac re contineantur. — Pluribus in locis Deus ipse jurasse [3]) dicitur, ut Genes. 22,

---

jusjurandum jam temporibus sanctissimae simplicitatis et ubique praestabatur; cum fide in numen cohaeret et eandem habet originem, quam religio, uti jam Malblanc l. c. §. II. pag. 3. recte animadvertit.

1) Optime hoc Meister tractat l. c. pag. 9 et 10.

2) Nihil enim utile, quod non idem honestum. Hoc explicat Cicero de offic. lib. III. cap. 8.

3) Deum ipsum jurasse de Deo notionibus Judaeorum dandum est, ex quo tamen apparet, juramentum iis actum fuisse sanctissimum. Ita in ipsa epistola ad Hebr. cap. 6, 13 et 17. legimus, ubi Apostolus cogitationibus Judaeorum forsan sese accommodare volebat. Nisi ex aliorum sententia admittere velis, ipsum Deum jurasse, ut hominum infirmitati succurreret, eosque de veritate eorum, quae dixit, certiores

16: בִּי נִשְׁבַּעְתִּי נְאֻם־יְהוָֹה: *per memetipsum juravi, dicit Jehova.* Cf. Gen. 24, 7. cap. 26, 3. Deuter. 6, 18. Jesaj. 45, 23. Jerem. 22, 5. Ps. 89, 4. 36. et al. Ut secundum l. c. Deus per semetipsum jurat, ita angeli rursus per Deum jurant. Dan. 12, 7. cf. Apoc. 10, 2—7.

Tunc etiam V. Testamenti scripta de jurejurando non solum loquuntur ac de re licita, sed etiam ipsum pro signo religionis et cultus Dei habent. Sic jubet Moses: אֶת־יְהוָֹה אֱלֹהֶיךָ תִּירָא וְאֹתוֹ תַעֲבֹד וּבִשְׁמוֹ תִּשָּׁבֵעַ *Jehovam Deum vestrum semper timete et colite et per nomen ejus jurate*, Deuter. 6, 13, item cap. 10, 20, quibus significare voluit, non solum per alium Deum non esse jurandum, sed etiam religionem per juramentum penes verum Deum profitendam. Sic Jesajas, quum de Assyriis et Aegyptiis in foederis societatem cum Israele vocandis vaticinatur: נִשְׁבָּעוֹת לַיהוָֹה צְבָאוֹת, *per Jehovam Deum omnipotentem jurabunt*, cap. 19, 18, i. e. jurando per nomen Domini religionem veram profitentur; alio loco dicit quum de propagando Dei regno loquitur: הַנִּשְׁבָּע בָּאָרֶץ יִשָּׁבַע בֵּאלֹהֵי אָמֵן, *qui juraverit in terra per Deum verum jurabit.* cap. 65, 16.

Si porro jusjurandum secundum leges Mosaicas et principia religionis judaicae esset illicitum, Moses et Prophetae id simpliciter interdixissent; sed tantum, ne perjuraretur, monebant et docebant casus, in quibus juramentum praestaretur, et qualitates, quibuscum id fieri posset et deberet. Sic legitur in praecepto tertio:

---

redderet. Sic Theodoretus in hanc epistolam, Theophylactus in commentar. in Pauli epistol. Londin. 1636. pag. 930, aliique.

לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם־יְהוָֹה אֱלֹהֶיךָ לַשָּׁוְא כִּי לֹא יְנַקֶּה יְהוָֹה אֵת אֲשֶׁר־יִשָּׂא אֶת־שְׁמוֹ לַשָּׁוְא, *ne enuncies nomen Jehovae Dei tui in mendacii asseverationem, nam non impunitum sinet esse Jehova eum, qui hoc fecerit* [1]), Exod. 20, 7; et alio loco: וְלֹא־תִשָּׁבְעוּ בִשְׁמִי לַשָּׁקֶר וְחִלַּלְתָּ אֶת־שֵׁם אֱלֹהֶיךָ אֲנִי יְהוָֹה, *ne per nomen meum falso juretis et profanetis nomen Dei vestri. Ego Jehova sum.* Levit. 19, 12. In Exod. 22, 10. 11. casus narratur, in quo juramento, aliis argumentis deficientibus, litis decidendae causa uti liceat. Cf. Levit. 6, 2—4. Numer. 5, 12—22. 1 Reg. 8, 31. 32. In jurejurando, ut verba sola ore prolata valeant, probant loci Num. 30, 3. et Jerem. 4, 2.

Plures loci V. T. vere juranti salutem et Dei gratiam promittunt, perjuranti autem minitantur ejus inclementiam. In Ps. 15, 1. Davides quaerit: „*Quis, Jehova, in tuo tabernaculo morari, aut quis in sancto tuo monte habitare audeat*“? in vers. 4 respondit: נִשְׁבַּע לְהָרַע וְלֹא יָמִיר, *qui jurat alteri, nec mutat;* et eodem modo Ps. 24, 4, ubi v. 5 adhuc adjicit: „*Is certe Dei benevolentiam obtinebit et beneficia a Deo ejus servatore.*“ Per Prophetam Maleachi Dominus loquitur: „*testis ero acerrimus in veneficos, in adulteros et perjuros*“ וּבַנִּשְׁבָּעִים לַשָּׁקֶר, cap. 3, 5. — Demum etiam plures viri pietate praeclari jurarunt, velut *Abrahamus* Gen. 14, 22; *Jacobus* Gen. 31, 54; *Davides* Ps. 119, 106 et alii. — Ex his omnibus satis liquet, V. T. scriptis, quae *Michaelis* [2]) non sine jure

1) Flav. Josephus praeceptum tertium affert his verbis: ὁ τρίτος λόγος κελεύει ἐπὶ μηδενὶ φαύλῳ τόν θεὸν ὀμνῦναι. Antiquit. Judaic. Oxon. 1700. Lib. II. cap. V. 5. pag. 159.

2) *Mosaisches Recht.* Tom. V. §. 256. pag. 197.

„*ein* Principium cognoscendi *der christlichen Religion, noch dazu in der Moral das reichste*" appellat, jusjurandum pro justo et licito haberi.

§. 8.

Num secundum religionis *christianae* principia jurare liceat? Haec quaestio nobis maximi est momenti, nam si esset neganda, jurando Dei et Christi praeceptis adversaremur, atque igitur summae poenae essemus obnoxii. In medium praecipue ferendum est illud ipsius Jesu Christi dictum Matth. V, 33—37, quo jusjurandum vetitum esse videtur, id quod non solum singuli homines, sed etiam sectarum universitates certum habuerunt (v. §. 1.). Idem putant *H. Grotius* [1]), *Staeudlin* [2]) aliique. Evanescit autem illa veritatis species, illaque juramenti prohibitio, ubi accuratius praecepti illius mentem atque sententiam perspexeris.

Primum servire debemus tempori, quo illud Christi praeceptum edicebatur. Judaei illo tempore jurare per creaturas solebant, et quidem praeprimis jurabant per coelum, per terram, per Hierosolyma, per templum, per altare, per donum super altari [3]) et per alias res; talia autem juramenta nulla esse existimabant, „neque se putabant Domino debere jusjurandum, si per ista jurarent." [4]) Ejusmodi juramenta in quoti-

---

1) Opera theolog. Tom. II. pag. 57.

2) l. c. pag. 32.

3) Hoc donum hebr. vocatur קָרְבָּן Corban; eratque tempore Salvatoris nostri in iis juramentis, quae Legisperiti et Pharisaei censebant esse plurimum obligantia. Th. Goodwini Moses et Aaron. Brem. 1710. Lib. VI. cap. VI. §. 6. pag. 568.

4) Augustini opera. Tom. IV. De sermone Domini in monte. Lib. I. cap. 17. pag. 300.

diano usu fuisse, ex loco Matth. 23, 16—22 non solum elucet, sed etiam ex *Philone* [1]) et *Lightfootio* [2]), qui id ex *Maimonidis* scriptis, praeprimis ex tractatu talmudico שבועות probat, satis apparet. Pharisaei et Legisperiti doctrina illa, quae verbis praecepti tertii Exod. 20, 7. nititur, freti, ea sola juramenta obligatoria esse docebant, quae per nomen Dei aut rem ei sacram fuerint praestita; Deum enim eum non esse puniturum, qui neque ipsius nomen pronunciasset neque rem, ut pro lubitu addebant, ipsi sacram pejerando invocasset [3]). Sunt igitur haec levia atque fallacia juramenta, a Pharisaeis permissa, et apud Judaeos quoti-

---

1) Op. Liber de specialibus legibus; pag. 770.

2) Opera omnia. Rotterd. 1686. Tom. II. Horae hebraic. et talmudic. in Ev. Matth. pag. 293.

3) *Michaelis Mos. Recht.* Tom. VI. §. 303. pag. 154 sq. Lutherus: *„Dass er hie so hart das Verbot treibet, das thut er wider ihre falsche Lehrer, welche also predigten, dass eiden und schwören, ob es wohl ohne Noth und Gottes Wort geschehe, nicht Sünde wäre; ja sie hatten einen Unterschied gemacht (wie Christus hie zeiget) wie man möchte frey schwören, und welche Eide sollten gelten oder nicht; als dass wohl jemand möcht bey dem Himmel, oder Jerusalem, oder bey seinem Haupte schwören, das wären geringe Eide, und bünden nicht so hart, wenn man nur nicht Gottes Namen anzöge. Hattens also zuletzt dahin bracht, dass ein schlecht Ja und Nein nichts galt, und dafür achten, es liege nichts dran, ob sie etwas nicht hielten, darauf sie keinen Eid gethan hätten, gerade wie sie vom Tödten gelehret hatten, dass man einen heimlichen Zorn und Tücke nicht für Sünde halten dürfte; also auch, ob einer seinem Weibe feind wäre, keine Lust noch Liebe zu ihr hätte; aber wohl zu einer andern Lust hätte, und solches mit Ansehen und Scherzen, und andern Zeichen beweisete. Wider solche unflätige Heilige hat er angefangen zu predigen"* etc. *Luther's Werke. Jena* 1575. Tom. V. fol. 384.

die usitata, quae Jesus prohibet, sed juramentum in universum, et inprimis per Deum, quod poscit magistratus, nullo modo vetat [1]) ejusque mentionem nusquam alibi facit. — μὴ ὀμόσαι ὅλως sine dubio cum sequenti arcte cohaeret, et exinde ὅλως a sequenti μήτε commate separari nequit. Christus, si et jusjurandum per Deum praestitum vetare voluisset, absque dubio et: μὴ ὀμόσαι ὅλως μήτε ἐν τῷ θεῷ, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ etc. dixisset. Praeterea jusjurandum legibus Mosaicis per nomen Jehovae erat praeceptum, et ipse Christus declarabat: μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον, ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι. Matth. V, 17. Veritati igitur maxime consentaneum est, quod *Calvinus* ait: „Christo non est institutum, Legem aut laxare, aut restringere, sed ad veram ac germanam intelligentiam reducere, quae falsis Scribarum et Pharisaeorum commentis valde depravata fuerat. Id si tenemus, non putabimus Christum damnasse in totum juramenta: sed ea tantum quae Legis regulam transgrediuntur.“ [2]) Vers. 37: ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν· ναὶ ναί, οὔ οὔ· τὸ δὲ περισσὸν τούτων, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν. Ex hocce Jesu Christi praecepto igitur perversa illa atque vitiosa juramenta solummodo prohibita sunt, quae per coelum etc. praestari solebant, in quorum locum pura affirmatio vel negatio succedere debeat, et

---

1) Idem sentit Hieronymus l. c. Tom. IX. pag. 20, etiamsi ne per Deum ipsum jurare posse putet, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit.

2) Institt. christ. relig. l. c. 26. pag. 139. Sine ulla ratione *H. Grotius* praeceptum ad sola juramenta promissoria refert. Opp. Tom. II. pag. 56. De jure belli ac pacis. l. c. §. 21, 1. pag. 398.

nulla dictis accedere jurato asseveratio illicita (ἐκ τοῦ πονηροῦ idem quod πονηρον). Etsi vero vulgarem verbi ἐκ πονηροῦ sententiam acciperes, nihil aliud significaret, nisi quod *e vitio proficiscantur* haec juramenta, quippe quae versib. 34—36. allegantur, partim ex inverecundia in Deum, partim ex diffidentia in asseverationem juramento non munitam origenem ducant [1]). Accedit quod *Christus* ipse praevia admonitione coram judicio juravit. Matth. 26, 63. 64. Procul dubio nempe verum, formale et judiciale jusjurandum fecit quod praestitit, si ad formam juramenti apud Judaeos usitatam respicimus. Ex eorum more coram judicio aut in solenni causa jurans formulam juramenti ipse non edixit, sed ea exaudita ad verba respondit: Amen, dicis etc.; quin imo silentium ejus pro praestatione juramenti ducebatur [2]). Haud dubie *Paulus* apostolus non jurasset, si jusjurandum prorsus interdic-

---

1) *Stephani* l. c. versu 37. omnia juramenta expresse prohibita esse contendit, eaque pro superstitione et blasphemia habet, id quod sententiae suae consentaneum est. Vulgarem nempe illam atque rejiciendam amplectitur juramenti notionem, de qua supra locuti sumus, licet ipse juramenta coram magistratu solenniter et per Deum praestita licita dicit atque veneranda.

2) Num. 5, 21. 22.

C. Ikenii antiquitatt. hebraic. Brem. 1741. Pars II. cap. V. XII. pag. 407.

Michaelis Mos. Recht. Tom. VI. §. 302. pag. 145. — Verbum hebraicum שָׁבַע significat in Niph. *jurare;* in Hiph. autem: *jurejurando aliquem adigere*, igitur *obtestari.* Unde in pristino Judaeorum juramento: „*Jude, ich beschwöre dich* etc. vid. §. 2.

Ideo *Haerter* valde errat, qui Christi responsum Pontifici quaerenti redditum juramentum non esse defendit.

tum fuisset; et tamen loquitur: *μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ θεὸς*, Rom. 1, 9; *ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν* [1]), 2 Cor. 1, 23; *ὁ θεὸς οἶδεν, ὅτι οὐ ψεύδομαι*, cap. 11, 31; *ἃ δὲ γράφω ὑμῖν, ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι*, Gal. 1, 20; *μάρτυς μου ἐστίν ὁ θεὸς*, Phil. 1, 8. Non potuit jurare clarius, quare falluntur, qui has jurationes esse non putant [2]).

Praeceptum Christi non absolutae prohibitionis esse quoque patet ex aliis locis N. T., ubi juramenti olim a Deo ipso praestiti mentio fit. Hebr. 6, 13. 17. Sed non facile apostolus hoc fecisset, imo versu 16. de juramenti utilitate locutus non esset, si omnia juramenta vetita putasset [3]). *Jacobus* quidem apostolus et ipse

---

1) Haec verba maximi sunt momenti, quia hisce Paulus apostolus ad Deum provocat non solum testem omniscium, sed etiam judicem punientem. Sic *Calvinus* l. c. 24. pag. 138; *J. Fr. de Flatt* in *Vorlesungen über christl. Moral. Tübing.* 1823. pag. 389.

2) „Ecce juravit Apostolus", ait *Augustinus*. „Non vos fallant qui nescio quomodo volentes ipsas jurationes discernere, vel potius non intelligere, dicunt non esse jurationem, quando dicit homo, Scit Deus, testis est Deus, invoco Deum super animam meam verum me dicere. Invocavit, inquit, Deum, testem fecit Deum. Nunquid juravit? Qui haec dicunt, nihil aliud volunt, nisi, Invocato Deo teste mentiri. Itane vero quisquis est pravi cordis, et perversi cordis, si dicas, Per Deum, juras: si dicas, Testis est Deus, non juras? Quid est enim; Per Deum: nisi, Testis est Deus? Aut quid est; Testis est Deus: nisi, Per Deum?" Opp. Tom. X. de verbis Apostoli. serm. 28. cap. VI. pag. 132.

3) Clare *Theophylactus* in epistol. ad Hebr. „per juramentum solvitur omnis contentionis controversia. Etenim dicuntur quidem multa, et utrinque contradictiones audiuntur,

jusjurandum illicitum profiteri videtur, si in epistolae suae capit. V, 12. dicit: πρὸ πάντων δὲ, μὴ ὀμνύετε μήτε τὸν οὐρανὸν, μήτε τὴν γῆν, μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον· ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὔ, οὔ· ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε. — Hic locus vero eodem modo, quo Matth. V, 34—37., interpretandus est, et verba: μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον, non aliter vertenda sint, nisi: „aut alio *ejusmodi* jurejurando utamini"; nam praeter coelum terramve per alias etiam res jurare solebant Judaei, ut supra vidimus. Itaque totum hunc locum nonnisi ad juramenta, quae vulgo in convictu quotidiano audiebantur, spectare manifestum est. Hoc esse populare loquendi genus demonstrat D. J. *Pott* [1]) ex Josepho l. c., qui Essenos jusjurandum omnino evitasse narrat, quos tamen, teste eodem Josepho, horrendo sacramento religioni adstrictos fuisse constat. — Nam et si referamus verba πρὸ πάντων ad verbum ὀμνύειν, ac si nulla exceptione illicitum esset quodvis jusjurandum, quoad tunc explicatio addita: μήτε τὸν οὐρανὸν, μήτε τὴν γῆν etc.? Iis qui Christum et Jacobum de jurejurando per creaturas non praestando loqui arbitrantur et ipse accedit pontifex *Innocentius* III. [2]).

Nonnulli docti viri, praecipue *Reinhard* [3]), *Staeud-*

---

sed jusjurandum postremo accedens remque confirmans, cuncta dubia solvit." l. c. pag. 930.

1) Nov. Test. graece. Edition. Koppianae. Vol. IX. Gott. 1799. in adnot. ad h. l. pag. 224.

2) Decret. Greg. lib. II. Tit. XXIV. de jurejurando. Cap. 26: „licet juramentum prohibuisse Dominum videatur, nusquam tamen per creatorem, sed per creaturam jurare prohibuit, ne per hujusmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia creatoris."

3) l. c. pag. 696.

lin[1]), *Paulus*[2]), J. G. *Hauff*[3]) praeceptum illud Matth. V, 34. propositum ad regnum Dei, aut hominum societatem pertinere putant, in qua omnes sint veraces atque fideles in dictis et factis, Dei praeceptis obedientes eaque lubenter implentes, nec unquam, et absque juramento, fallentes vel decipientes; quamdiu vero illud non obtineret neque aliud remedium veritatis in judicio eruendae existeret, tamdiu, et salvo illo praecepto J. Christi, quodlibet jusjurandum esse permissum. Cui vero sententiae inter alia haec praecipue objici possunt.

1) Vix cogitari potest, Christum non solum discipulis nondum perfectis sed et multitudini circumstanti doctrinam tradere voluisse, quae ne in ecclesia quidem summe vigente, nec moribus sanioribus observari possunt, nec vix unquam observari poterunt.

2) Si Jesus l. c. ad regnum Dei ex sensu illorum spectasset et praeceptum in hunc eventum tribuisset, sine dubio divortium *adulterii causa* non admisisset (vers. 32), cum hoc crimen in regno Dei locum habere non posset, id quod hanc exceptionem redderet omnino supervacaneam.

3) Caeterum praecipue quid de regno Dei in terra statuat respiciendum. Nunquam autem clarius edixit, quid de institutis suis in terra exspectaret, quam Matth. 13, 24—30. Exinde vero apparet sub regno suo in terra constituendo institutum religionis, innumeris bonis non minus, quam malis refertum, intellexisse. Sin vero ipse sinceram, plane sacram,

---

1) l. c. pag. 37.

2) *Commentar zu* Matth. 5, 33 sq.

3) *Biblische Real- und Verbal-Concordanz. Stuttg.* 1828. Tom. I. pag. 539.

et a malo liberam ecclesiam non exspectabat, quomodo tunc, ut socii ecclesiae plane perfecti, igitur veraces et fideles in dictis et factis sint, et juramento omnino carere queant poscere posset. Idcirco id imperasse vix crediderim, quod tunc demum impleri potuerit, cum exstiterit constitutio, quam exstituram in hac terra ipse non speraverit.

Ex quibus omnibus patet, Christum juramentum non omnino prohibuisse, sed tantum perjurium et leves illas in quotidianis sermonibus editas asseverationes. Permissum vero est et licitum secundum christianae religionis principia id juramentum, quod respublica aut magistratus in causa majori alio medio eruendae veritatis deficiente exigit. *Lutherus* ipse, jusjurandum quidem secundum Matth. V, 34—37 in universum illicitum ducens, a magistratu tamen impositum nihilosecius permissum arbitratur. „*Es geht mit dem Schwören zu*, inquit, *wie mit dem Todtschlagen. Todtschlagen ist hart verboten, wie wir wissen in den zehn Geboten; wenn es aber geschieht auf Befehl des Worts Gottes, so ist es recht und gut. Als, wenn ein Richter einem Mörder oder Todtschläger den Kopf lässet abschlagen, oder auf ein Rad legen, der thut wohl und recht daran, thut auch nicht wider das fünfte Gebot Gottes; denn Gott hat es also geordnet und befohlen, die Bösen zu strafen um des gemeinen Friedens willen. Wer aber das Schwerdt nimmt ohne Gottes Befehl, der soll mit dem Schwerdte gerichtet werden. — Wie nun der Todtschlag, Köpfen, Radbrechen und dergleichen Richterswerke nicht aus eigenem Muthwillen, Lust und Wahl geschehen sollen, also geht es auch zu mit dem Eide. Kurzum, der Eid und das Schwören ist verboten, wie das Todtschlagen. Wenn aber die Obrigkeit einen Eid von mir erfordert, soll ich schwören. Also*

ist der Eid verboten, wenn er geschieht aus eigenem Vornehmen, Muthwillen, Leichtfertigkeit und böser Lust. Wenn er aber aus Noth geschieht, ist er nicht verboten, ist auch nicht Unrecht. Dann geschieht er aber aus Noth, wenn die Obrigkeit einen Eid erfordert vor Gericht; wie auch geschieht, wenn man den Fürsten und Herren huldigt und schwört." [1]) Et alio loco: „*Also ist es verboten, dass sich Zwei ausserhalb der Ehe mit einander vermischen; denn es ist eine irrige und unordentliche Unkeuschheit. Wo aber Zwei ehelich sind, ist es eine Schuldigkeit, dass sie einander die eheliche Pflicht erweisen, und thun das im Namen Gottes des Herrn, und geben, was sie schuldig sind dem göttlichen Gesetze, das ist, der Liebe. Also musst du auch brauchen des Eides, dass du zu deinem Nutz nicht schwörest; sondern Gottes Ehre zu fördern, und des Nächsten Heil, im Namen des Herrn. Also wirst du allezeit bleiben in der Dienstbarkeit des einigen Gottes.*" [2])

CAP. III.

QUOMODO JUSJURANDUM SIT ADMITTENDUM.

§. 9.

Quae cum ita sint, ut jusjurandum neque ex philosophiae praeceptis, neque ex religionis dogmatibus reprobari possit, imo e republica summeque colendum esse appareat, jam fere superfluum esse videtur inquirere, *penes quem* jurandum sit? Etsi jusjurandum per Deum tantum admitti posse constet, tamen docente hi-

---

1) *Werke. Jena.* Tom. IV. fol. 513.

2) *Geist aus Luther's Schriften.* l. c. pag. 717.

storia multi quoque per alias res et inprimis per creatas juraverunt et jurant. Id Israelitas jam sub regibus fecisse traditum est; exempli gratia per regem et vitam regis, per oppida, coelum etc. Cf. 1 Sam. 17, 55. cap. 20, 3. 2 Sam. 11, 11. 2 Reg. 2, 2. Ps. 139, 40. *Philo* hac de re singulare quoddam statuit; jurare per Deum non permittit; „quod si rei necessitas religionem jurisjurandi postulet," ait, „magis decet jurare per patris aut matris sanitatem et senectutem prosperam si vivunt, aut si defuncti sunt per eorum beatam memoriam; sunt enim effigies et simulacra divini numinis, qui liberos ad vitam produxerunt de nihilo. Aut decet jurare per tellurem, solem, coelum mundumve; sunt enim hae creaturae praecipuae, nimirum antiquiores nostro genere, sempiternaeque omnis expertes senii, sic volente coelesti numine." [1]). Hae per res creatas jurandi formulae nec *gentilibus* incognitae fuerunt; juraverunt per solem [2]), per sidera [3]), per caput suum [4]), per aquam Stygis [5]), per genium et salutem Caesaris [6]), per nomen Augusti [7]) aliasque res. Praetermitti non potest juramentum *Socratis*, qui jurabat per

---

1) l. c. Liber de special. legibus. pag. 769. 770.

2) Virgil. Aeneid. lib. XII, 176. „Esto nunc Sol testis." Item Persae jurarunt per solem. Aelian. Var. hist. Argentor. 1685. Lib. I. cap. 33. pag. 57.

3) Virg. Aen. VI, 458. IX, 429. „Coelum hoc et sidera conscia testor."

4) ib. IX, 300. „Per caput hoc juro."

5) Herodoti histor. ed. Wesselingius. Amstel. 1763. Erato. Lib. VI. 355. pag. 472.

6) Dio. Cass. hist. Rom. Lips. 1818. Tom. II. Lib. XLIV. 50. pag. 141.

7) C. C. Taciti Annal. Lib. I. cap. 73. Ed. Tubing. 1797. pag. 87.

canem et per platanum [1]). Idem valet de *Hippocratis* jurejurando, qui discipulos suos per Apollinem medicum, per Aesculapium, Hygeiam et Penaceiam, per Deos et Deas jurare jussit [2]). De *Scythis* Herodotus narrat, hos non solum per eos viros, qui justissimi atque optimi apud illos fuisse dicuntur jurare, illorum sepulcra tangentes [3]), sed etiam has gentes inire foedera cum caetero ritu Graecorum, tum insecando brachia summa in cute, ac mutuum sanguinem delingendo [4]). — Hi similesque ritus populis incultis, qui vera Dei notione non gaudebant, conveniunt.

Veteres *Arabes* per nomen Dei et suarum mulierum corpora [5]) et praecipue, Muhamede auctore, per ventos lapides dissipantes etc. jurabant [6]). Praeterea Muhamedani ut per Deum, ita per coelum, sidera, aliasque res venerabiles jurant [7]). Turcae autem hodie juramentum, coranum tangentes, praestant sub hac formula: juro per unicum Deum, et per id quod est in religione sacerrimum etc. [8])

---

1) Aeg. Menagii observatt. in Diog. Laert. pag. 92.

2) Hippocratis M. ὅρκος sive jusjurandum recensit. et libro commentar. illustr. a J. H. Meibomio. Lugd. B. 1643.

3) l. c. Melpomene. Lib. IV. 172. pag. 357.

4) l. c. Clio. Lib. I. 74. pag. 37. Hicce mos apud Phoenices et ipsos locum obtinuit. *Michaelis Mos. Recht.* Tom. IV. §. 206. pag. 215.

5) L'alcoran de Mahomet; traduit par le Sieur de Ryer. Haye 1685. Sur. IV. pag. 60.

6) *Michaelis Mos. Recht.* Tom. V. §. 303. pag. 153.

7) L'alcoran. Sur. 86. pag. 474.

Hadr. Relandi de religione Mohammedica libri duo. Traj. ad Rh. 1717. Lib. II. §. 6. pag. 164.

8) *Entwurf der Process-Ordnung in bürgerl. Rechtsstreitigkeiten. Münch.* 1825. *Beil. VI. pag.* 400.

Quod praeprimis ad veteres *Germanos* pertinet, hi in antiquitate vetustissima per terram et gramen, per arbores et plantas, per aquas sacras, montes, rupes etc. [1]), et praeterea viri ingenui per gladium, ejus capulum acumine in terram immisso attingentes jurabant, qui ritus in nonnullis locis, ut in Holsatia, inter Christianos diu adhuc vigebat [2]).

Inter *Christianos* ipsos jusjurandum per alias res, quam per Deum, in usu esse, jam apud veteres christianos milites reperimus, qui, quod refert *Vegetius* [3]), non solum jurarunt per Deum et Christum [4]) et Spiritum sanctum, sed etiam per Majestatem Imperatoris, quae secundum Deum generi humano diligenda sit et colenda. Ex historia ecclesiastica vero patet quoque inter signa abnegati Christianismi fuisse, jurare τὴν Καίσαρος τύχην, per genium Caesaris [5]). Sic etiam *Tertullianus* dicit [6]), Christianos non jurare per Genios Caesarum. Christiani germanici etiam super cru-

---

1) J. Grimm's deutsche Rechtsalterthümer. pag. 896. 897.

2) l. c. pag. 165. 166.

3) De re militari. Paris. 1515. Lib. II. cap. V. fol. IX.

4) *Novatus*, ecclesiae Rom. presbyter, miseros homines, dum iis portionem tradit, benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens quam jurati ista dixerint: Jura mihi per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, etc. Eusebii ecclesiast. hist. Mogunt. 1672. lib. VI. pag. 245.

5) Euseb. l. c. Lib. IV. cap. 15. pag. 131. ubi juramentum per genium Caesaris a Polycarpo constanter denegatum esse narratur.

6) Opera. Paris. 1580. Apologetic. adversus gentes lib. cap. 32. pag. 705.

cem aut saepius super pignora sancta [1]), et non solum per Deum sed etiam per sanctos jurabant [2]), altare vel sancti cippum apprehendentes [3]).

Nostris diebus adhuc *Catholici* tam per Deum, quam *per Sanctos* jurant; quod vero non minus peccatum est, quam jurare per res creatas. Hoc jam ex ipsa jurisjurandi notione sequitur. Quod cum nihil aliud sit, nisi affirmatio religiosa sub invocatione Dei omnia providentis et justissimi, per ipsum solum, non per alias res jurare licebit. Est enim evidens Dei inficiatio, et vera idololatria, ubi res creatas honore divino afficimus, qui soli Deo debetur, atque peccamus contra praeceptum illud praecipuum, ad quod tentatorem allegat Christus acclamans: *ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ· γέγραπται γάρ· κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.* Matth. 4, 10.

Juramenta per terram, solem, lunam sideraque idololatriae aut suspicionem movere, aut ipsam idololatriam parare possunt, ideoque Mosi ut legibus suis contraria parum placuisse satis elucet [4]). Jusjurandum cum sit solemnis Dei ut testis et judicis invocatio per ejus solius nomen fieri debuit. Deuter. 6, 13. cap. 10, 20. Jeremias propheta omnes condemnat, qui per alias res, qnam per Deum jurant, hisce verbis: אֵי לָזֹאת אֶסְלוֹח־לָךְ בָּנַיִךְ עֲזָבוּנִי וַיִּשָּׁבְעוּ בְּלֹא אֱלֹהִים, *quomodo haec tibi potero condonare? Filii tui me relicto jurant per falsos Deos;* Jerem. 5, 7. ex quo intelligi potest, ut per verum Deum jurare solummodo sit permissum. *Talmud* quoque et Rabbini solum per nomen

---

1) J. Grimm's deutsche Rechtsalterthümer. pag. 896.

2) ib. pag. 50.

3) ib. pag. 897.

4) *Michaelis Mos. Recht.* Tom. VI. §. 303. pag. 158.

Dei jurandum esse docent. Quare *Maimon* refert in Jad. chas. Tr. Schevuoth. c. XI. §. 1. *praeceptum est, ut quisque coram judicio civili jurans juret per nomen Dei.* Item in §. 20: *iniquum est jurare per aliam rem, quam per nomen Dei. Nempe si quis in juramento aliam rem cum Dei sancti et laudati nomine conjungat, e mundo extinguitur. Ne unum quidem nomen, nisi nomen laudatum, tanta est laude et honore dignum, ut per ipsum juretur* [1]).

Omne testimonium ac promissum, cujus affirmandi causa ad res extra Deum provocatur, nihil est nisi simplex asseveratio aut obtestatio; et quamquam plures, ut Scholastici (§. 4.), juramentum per res creatas, quia in ipsis creator veneretur, defendant; aut ejusmodi asseverationes, si quis *jurare* per illas res se asseveret, in juramentum transire putent, ut G. L. *Boehmer* [2]), tamen talis obtestatio pro vero jurejurando nunquam est censenda. Secundum juramenti notionem veram et genuinam per Deum solum praestari hoc potest, quia expressam ejus invocationem continet, a quo solo maxima ad veritatem et fidem incitamenta sunt derivanda. Qua de causa per res creatas, sanctos eorumque reliquias ac imagines, per crucem atque similia, quorum religio et sanctitas obscuri aevi superstitione nititur, jurare Christianum dedecet [3]).

---

1) *Bodenschatz* l. c. pag. 357.

2) Principia jur. canon. Gott. 1802. Lib. III. sect. I. tit. XI. §. 332. pag. 262.

3) Contra hunc et per Sanctos jurandi usum Romanae ecclesiae aucta sive secunda confessio Helvetica de anno 1566, ubi cap. V, 10 et 11. legitur: *„Die Alten schwuren nicht anders, als bei dem einigen Namen des Gottes* J e h o v a, *wie sein Gesetz befiehlt. Da hier verboten ist bei dem Namen fremder*

§. 10.

Videamus igitur *quibusnam in casibus* jusjurandum licitum sit? Singuli quidem casus, in quibus praestandum est, speciatim enumerari non possunt [1]). Id tantum dicendum erit, ne absque gravissima causa, et non nisi deficiente alio aut eruendae veritatis aut firmandae promissionis medio admittatur [2]). Vere et

---

Götter zu schwören, so leisten wir keinen bei den Heiligen geforderten Eid. 5 *B. Mos.* 10, 20. 2 *B. Mos.* 23, 13. *Wir verwerfen folglich in dem allem eine Lehre, die den Seligen oder Heiligen mehr oder zu viel beimisst.“ Die helvet. Confessionen Deutsch; herausgeg. v. J. J. Mess. Neuw.* 1828. pag. 17. Jusjurandum per Sanctos aliasque res creatas improbat quoque Catechismus Heidelbergensis, quodammodo in numerum librorum ecclesiae reformatae symbolicorum referendus, in quaest. 102. his verbis: „*Dann ein rechtmässiger Eid ist eine Anrufung Gottes: dass er als der einige Herzenskündiger, der Wahrheit Zeugniss wolle geben und mich strafen, so ich falsch schwöre: welche Ehre dann keiner Creatur gebühret.*“ Confessio Augustana ne invocarent Sanctos seu peterent auxilium a Sanctis monet. Artic. XXI. Edit. Lips. 1756. pag. 19. Cf. Traité du serment p. J. la Placette. Haye 1701. lib. I. chap. VI. pag. 46 sq.

1) *Meister* dicit: „*Sehr viel kann der Richter leisten im Einzel-Falle, durch Abbeugung der Eide in Kleinigkeiten, mittelst Bestimmung des interessirten Theils zum freien Erlass nach Pflicht- und Ehrgefühl, mittelst glücklicher Vergleichsstiftungen, mittelst eines vorsichtigen, vom Richter selbst abhängigen Gebrauchs der nothwendigen Eide. Und vieles kann hier auch die Gesetzgebung mitwirkend leisten, in der Aufmunterung des Richters und aller im Rechtsstreit befangenen Staatsbürger zu einem sparsamen Gebrauch des Eides, als ehrend ihren Charakter, und als das sicherste Beruhigungsmittel für das immer zu seiner Zeit, vielleicht auf dem Todtenbette erwachende Gewissen.*“ l. c. pag. 108.

2) Ipse *Innocentius III.* l. c. absque urgentissima necessi-

egregie *Calvinus:* „Vile et vulgare redditur Dei nomen, ait, quum veris quidem, sed supervacuis juramentis adhibetur: siquidem accipitur hic quoque in vanum. Quare non satis fuerit a perjurio abstinere, ni simul meminerimus, jusjurandum non libidinis aut voluptatis, sed necessitatis causa permissum et institutum: ideoque extra licitum illius usum egredi qui rebus non necessariis accommodat. Porro non alia praetendi necessitas potest quam ubi vel religioni vel charitati est serviendum." [1]) Eadem ratione *Catechismus Heidelbergensis*, quaest. 101: „*Man mag gottselig bei dem Namen Gottes einen Eid schwören, wann es die Obrigkeit von ihren Unterthanen oder sonst die Noth erfordert, Treue und Wahrheit, zu Gottes Ehre und des Nächsten Heil, dadurch zu erhalten und zu fördern.*" Ubi aliud medium non deest, juramentum inutile, ideoque nefas, nam praeceptum legitur: *Non usurpabis nomen Jehovae Dei tui in vanum.*

Rem autem, propter quam jurari queat, gravissimam esse oportet, quare in rebus minoribus, praeprimis in causis ad pecuniam spectantibus levioribus jusjurandum nunquam obtineat[2]), imo tunc demum prae-

---

tate non esse jurandum edicit. „Ad juramentum, ait, non debet quemquam spontanea voluntas sed necessitas trahere importuna."

1) l. c. 25. pag. 138.

2) Insignis vero in his ratio habenda erit conditionis personarum aliorumque. Ita e. g. illi, qui divitiis abundat, certorum thalerorum summa parvi erit momenti, quae quidem ei qui tenuibus opibus gaudet grandis aeris esse videbitur. *Lutherus* dicit: „*Dieweil ein Christmensch nicht zeitlich Ding soll lieb haben, so soll er auch um solche Dinge nicht schwören. Denn ein Christ soll nicht suchen, was ihm zeitlich nütze ist, viel weniger soll er darum schwören. Ja, er soll den Namen*

standum erit, si magistratus, cui soli id exigere competit, in rebus majoris momenti juramentum necessarium esse existimet [1]). Ex consuetudine et in minimis causis jurare, nefastum est atque ansam dat perjurio, ut jam *Philo:* φύεται ἐκ πολυορκίας ψευδορκία καὶ

Gottes höher achten, denn das Seine.“ Geist aus Luther's Schriften. l. c. pag. 721.

1) Anabaptistae, ut inter omnes constat, magistratui jus exigendi juramenti non concedunt, quos autem definite impugnat Confessio Augustana de anno 1530 Art. XVI. (Concord. Lips. 1756. pag. 14) et aucta sive secunda Confessio Helvetica de anno 1566. cap. XXX, 9. (l. c. pag. 149); etiam Lutherus hisce verbis: „*Hier muss man der Obrigkeit Geboten nicht ungehorsam seyn, wie die tollen unsinnigen Wiedertäufer schwärmen; und also reimet sich der Eid, so uns von der Obrigkeit auferlegt wird, mit dem Gebot Gottes, der da geboten hat, dass man der Obrigkeit soll gehorsam seyn.*“ l. c. pag. 719.

Sed ut juramentum efficax sit et validum inprimis requiritur, ut qui jurat nec temere nec incaute juret, sed gnarus et bene instructus, ut contra leges aut bonos mores juramentum non praestetur, neque ab eo, qui aut metu coactus aut calliditate deceptus jurat. Hoc est Germanicis hominibus in proverbio: „*Gezwungen Eid ist Gott leid.*“

Tamen secundum constitutionem *Coelestini III.* pontificis juramentum vi metuve extortum tamdiu servare quisque obligatur, donec judice ab obligatione sua relaxetur, qui juraverit (Decret. Greg. Lib. II. Tit. 24. cap. XV.), quamvis secundum legem *Gregorii VII.* pontificis de nullitate talis juramenti satis persuasos sese habuisse pontifices videantur (l. c. cap. II.). Secundum jus Protestantium jusjurandum vi metuve extortum nullum est, nec ullam relaxationem desiderat, si de proprie dicta absolutione a vinculo jurisjurandi quaestio movetur. J. H. *Boehmeri* jus Protest. eccles. Hal. 1738. Tom. I. Lib. II. Tit. XXIV. §. 53. pag. 1298. *Lutherus* quoque ita: „*Wenn einer gezwungen schwöret, so schwöret er nicht.*“ l. c. pag. 721.

ἀσέβεια [1]). Cf. Sirach 23, 9—12. Quae cum ita sint, sapientissimi legislatores, cum singulos casus, in quibus juramento uti liceat, demonstrare nequeant, in arduis solummodo causis jusjurandum admittendum esse praeceperunt [2]). Hocce vero praeceptum hodie paulum observatur, cui pessimum id accedit, quod assuetudine ipsa pro delicto imputari desiit. Si igitur et rarius et solummodo in causis gravissimis jusjurandum

---

1) l. c. De decalogo; pag. 757.

Optime *Hierocles*, philosophus ille Alexandrinus: „Fuerit cultus jurisjurandi servandi optima ratio, ait, si eo nec saepe utaris, nec temere, nec quibuslibet in rebus, nec ad sermonis explementum, nec ad narrationis confirmationem et fidem: sed, quantum fieri potest, rebus tantum necessariis simul atque honorandis adhibeatur, eoque tempore, cum earum nulla salus alia, quam ex sola veritate juramento elicita et confirmata expectatur. — Quod jusjurandum colere praecipit, non solum non pejerare, sed a jurejurando etiam abstinere docet. Nunquam enim pejerabimus, si jurejurando non abutamur." Commentar. in aurea carmina; latine. Cantabr. 1709. pag. 31.

2) Ita in Hassia electorali: *Verordn. v.* 6. *Jul.* 1770. §. 7.: „*In geringfügigen Sachen soll alle Eidesleistung möglichst verhütet, und darzu nicht anders als in höchster Noth und mit möglichster Vorsicht geschritten werden, sondern es dabei nicht schlechterdings auf des* Deferentis *Willkühr, sondern zugleich auf das* arbitrium judicis *mit ankommen.*" *Samml. Hess. Landes-Ordnungen. Cass.* Tom. VI. pag. 579. Jusjurandum tantae fuit gravitatis et sanctitatis, ut in controversia de illo admittendo non respiciendum objectum litis, praecipue appellationis summa non digna sit, quod spectetur (*O. App. Ger. Decr. von* 1774. *U. Fr. Kopp's Handb. der Hess. Cass. Landes-Verfass. etc. Cass.* 1796. Tom. I. pag. 240.) Hodie autem haec probatio, quocunque res ceciderit, non pluris aestimanda est, quam ipsum objectum litis. (*O. App. Ger. Decr. v.* 19. *Sept.* 1829.)

locum teneret, hoc amplius aestimaretur et sanctius haberetur. Quam ob rem non sacerdotum solum pium officium est, iis qui ipsius curae demandati sunt, gravitatem juramenti sedulo exponere atque demonstrare, idque jam in puerorum atque adolescentum doctrina respicere [1]), sed judicum quoque est, juramenta non nisi in arduis rebus et necessitate urgente admittere, admissaque sancte atque justo modo tractare. Sin vero, quod saepius fieri dolendum est, parvi habent jusjurandum, ejus vis ac auctoritas magis magisque labefactabitur.

Ex quo sequitur, ut juramentis magis parcere, eorumque numerum diminuere debeamus. Haud omnes juramentorum species sunt licitae, quorum strictior determinatio prudentis arbitrio judicis committendum est. Sic juramentorum tam assertoriorum, quam promissoriorum quaedam adhuc in usu sunt, quae juste tollerentur. Praeprimis inter *assertoria*, quae veritatem cujuslibet contenti affirmant, juramentum *pur-*

---

1) Quid de hac re in Hassia nostra constitutum sit vid. in: *Consistorial-Ausschreiben v.* 1. *Febr.* 1726. §. 25: „In specie *aber müssen Wir noch dieses annectiren, weilen das Eydschwören heut zu Tage sehr gemein wird, hingegen aber gar wenige alte und erwachsene Leute auf Befragen, was eigentlich der Eyd sey? eine pertinente Antwort zu geben wissen, ja vielmalen nicht den geringsten Begriff davon haben, wannenhero leicht zu erachten, wie dass zum öftern der heilige Namen des grossen Gottes misbraucht, folglich entsetzliche* perjuria *begangen werden; dass demnach die Prediger nicht nur bei allen Gelegenheiten denen alten Erwachsenen, sondern auch insbesondere denen* Catechumenis, *worin ein Eyd bestehe, und was vor eine schwere, zeitliche und ewige Strafe diejenigen, so falsch schwören, zu gewarten haben, wohl einbinden und in der Jugend gleichsam einprägen sollen.“ Neue Sammlung der Landesordnungen. Cass.* 1828. Tom. I. pag. 289.

gatorium rejiciendum censeo; nam absurdum non solum est honestati ejus fidem habere, cujus honestas in dubium vocatur, sed maxime etiam hocce juramentum ad pejerationem trahit, cum reus jam forsan satis corruptus, se perjurio ab accusatione liberare mallet, quam poenam solvere atque existimationis jacturam facere. — Etiam juramentum, quod vocant *credulitatis*, non erit permittendum, cum de rebus tantum jurare liceat, quarum plenam habemus cognitionem atque scientiam. Hoc vero jusjurandum opinione nititur atque argumentis, quae saepenumero erronea et perquam falsa esse possunt, ideoque et juramenta reddere vana. Contradictio re vera est, ut *Kant* noster recte monet [1]), de eo quod credas, juramentum praestare: „*dieses Mittelding zwischen Meinen und Wissen ist etwas*, ait, *worauf man wohl zu wetten, keineswegs aber darauf zu schwören sich getrauen kann.*" Accedit quod saepius contingit, ut rem juratam modo credamus, modo non credamus.

Inter juramenta *promissoria*, quae de sinceritate promittentis et de promissis servandis praestantur, *juramentum officii* (*Amtseid*) plane delendum esse puto, quod praecipue inane videtur, et quidem hisce ex causis:

1) Quisque enim ex reipublicae praeceptis praesumitur bonus, donec probetur contrarium, cui praecepto ipsa respublica stare non videbitur, si a quocunque officiali jusjurandum exigit.
2) Quicunque officialis in munere obeundo superiorum custodiae atque curae demandari, usque ad rationes reddendas obstringi potest.

---

1) *Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre. Königsb.* 1797. §. 40. *Anmerk. pag.* 154.

3) Qui ad id perficiendum, quod sibi debet, alio modo non movetur, nec juramento officii huc perducetur, praecipue si illius memoria jam invalescere coeperit.

4) Bonus et probus officialis, etiam jurejurando non obligatus, quod officium exigit, promte et fideliter explere studebit.

5) Officialium religiosorum nec non justissimorum forsan non ullum invenies, qui muneris officium omni quo decet studio semper exsequi et tueri possit, ex quo apparet, quemque officii causa jurantem, quum et minima negligentia in officio jusjurandum violet, perjurium committere. Egregie *Lutherus* de hac re loquitur: „*Wer will sich heutigen Tages wohl rühmen, dass er frei von Meineid sey und bleibe, da wir Alle durch viel Eidschwüre verbunden werden, erstlich bei der geistlichen, und hernach auch bei der weltlichen Obrigkeit? Denn wer hat wohl Niemanden jemals geschworen, ohne etwa die kleinen Kinder in der Wiegen? Aber wer hat alle seine Eide und Schwüre gehalten? Daher geschiehts, dass wegen der Menge so vieler Eide die Meineide beinahe die ganze Kirche überschwemmen, und dass die vielen Gesetze eine Ursache der meisten Sünden sind.*“ [1])

Quae cum ita sint, nemo esse potest, qui juramenta officii rejicienda non esse censeat. Nuda affirmatio, dextra data eandem vim haberet nec eadem incommoda. Apud patres nostros inauditum fuit, jurisjurandi fidem hoc modo accipere, quibus secundum proverbium: *Ein Wort ein Wort, ein Mann ein Mann*, affirmatio sola ejusdem erat, ni velis, majoris valoris,

1) *Geist aus Luther's Schriften.* pag. 721.

quam asseveratio jurejurando firmata. Siquidem necessarium quis putet in casu substrato officialis juramentum accedere ad firmanda ea, quae in judicio ab ipso prolata sunt, singulari juramento, ut in aliis causis, adstringi is possit, neque inde absurdum illud enasceretur, ut qui juratus dixisset tamen plenam fidem non haberet.

§. 11.

Tandem una quaestio adhuc superest: *quisnam* ad jusjurandum sit admittendus? Jamjam leges juramenti praestandi potestatem omnibus adimerunt, qui vel veram juramenti notionem non habere, vel contra veritatem et justitiam juraturi esse videntur; e. g. parvi, qui nondum praevia literarum divinarum institutione solemni ritu sacris sunt initiati [1]); tunc mente capti, ebrii, ii, quos jam perjurasse constat et qui ob graviora scelera magnopere sunt suspecti. Ejusmodi homines ad jusjurandum non sunt admittendi, quia vel ejus vim atque auctoritatem plane habent incognitam, vel id non sancte aestimant. Jam vero quaeritur: an qui Deum esse negant nec non res divinas irrident juramentum praestare possint? Multum de hac re disputatum est.

---

1) Olim, inprimis inter quasdam Germaniae gentes abusus fuisse videtur, etiam impuberes adigere jurejurando, id quod etiam ex constitutionibus juris canonici elucet. „Parvuli, qui sine rationabili aetate sunt, non cogantur jurare, sicut Gunebodigni faciunt. Pueri ante annos quatuordecim non cogantur jurare. Puella quoque, si in puerili aetate sita in domo patris, illo nesciente, juramento se constrixerit, et pater ejus ut audierit, statim contradixerit, vota ejus, et juramenta irrita erunt, et facilius emendabitur.“ Decreti pars II. caus. XXII. quaest. V. cap. 14 et 15.

Siquidem juramentum nobis non est religiosa, sed uti *Meister* denotat [1]), sola ethica asseveratio, eum quoque, qui nullum omnino esse Deum credit, ad jusjurandum admitti posse, doctissimo viro facile concedimus, cum etiam absque fide religiosa verax quis esse possit. Experientia docet, homines esse veracitatem summo exercentes rigore, quamvis religionis principiis obligatos sese non existiment [2]). Sed si nobis juramentum ex vera atque genuina ipsius indole nihil aliud est nisi asseveratio religiosa, quae nititur fide, quamquis vero et unico Deo habet, quaestioni illi procul dubio negative erit respondendum.

Etsi vero homines esse, qui Deum ex rerum natura omnino tollunt, persuasum mihi non habeam, tamen sceptici exstant, qui dubitant, quin Deus sit. Hos vero plane censeo indignos, qui jusjurandum praestent, atque in eos illa Domini verba accommodare velim: *μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων· μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν*, Matth. 7, 6. Quo enim modo fieri possit, ut solennis Dei provocatio ad eos, qui Deum esse negant, pertineat ita, ut ad veritatem in dictis et fidem in promissis sese obligatos ea censeant? Igitur credo cum *Malblanc* [3]), „eos a jurejurando arcendos esse, qui, verbis signisque, sive scriptis, sive ore factove prolatis, aut totam veri et unici Dei existentiam, aut ad minimum eas, quae circa jurisjurandi vim necessario supponendae sunt, qualita-

---

1) l. c. pag. 39.

2) Multos etiam pudore sine jurejurando ad veritatem ac fidem compelli jam satis constat.

3) l. c. §. VII. pag. 20.

tes, quovis modo negasse, idonea probatione convinci possunt." [1])

Nec majorem fiduciam in jurejurando praestando iis tribuere ausim, qui Deum quidem esse neque dubitantes neque negantes, tamen Dei et religionis contemtores sese praebeant, idque tam rituum religionem concernentium omissione et negligentia, quam vita flagitiosissima probent. Vix enim fieri potest, ut qui religionem contemnunt justo modo jurare possint, quia jusjurandum tantopere conjuncta est cum illa, ut et valorem inde capiat et auctoritatem.

Ο διδοὺς τὸν ὅρκον τῷ πονηρῷ, μαίνεται. [2])

Quam ob rem eos solos ad jusjurandum admittendos esse arbitror, qui non solum adscripti sunt religioni vigenti vel toleratae, eamque profitentur [3]), sed etiam fidem moribus suis reddunt manifestam [4]). Superaddantur adhuc testimonia de morum sinceritate a magistratu nec non verbi divini ministro exhibita,

---

1) Sic jusjurandum, quod *Richardus Carlile*, famosus ille bibliopola Londinensis, dextra evangelio imposita praestitit, ab τῷ Recorder tribunalis τῆς Old-Baley pro nullo et invalido declaratum est, quia ille nec creatorem esse persuasum se tenere, nec sacrae scripturae fidem se habere palam confessus erat. *Allgemeine Kirchen-Zeitung*. 1827. No. 30. pag. 248.

2) Stobaei sentent. pag. 186.

3) „Jusjurandum similiter ab iis quidem violatur qui a Dei cognitione recedunt, servatur autem ab iis, qui ad divinam conversationem reducuntur." Hierocles l. c. pag. 29.

4) Utinam homines tam pia vitae integritate, quam strenuo veritatis studio ita essent conspicui, ut verba pro jurejurando etiam coram judicio accipi possint, i. e. ut quod illi dixerint aut promiserint perinde sanctum sit, ac si jusjurandum interposuerint. Sic Xenocrates; vid. §. 3.

partibus litigantibus occultanda. Quae quidem omnia ad habitum hominis atque ea, quae prae se fert, maxime spectant, quia nec magistratus nec animarum curatores, cum omniscientia careant, de hominum fide ac animo sententiam certam dicere possunt. Sed quamquam hac in re aliquando fallemur, verumtamen, si Deum et sacra palam deserentes nec non scelera committentes a jurejurando arceantur, multo minus pejerabitur.
